DISSERTATIO PHILOLOGICO-JURIDICA INAUGURALIS.

DE

MALEFICIS ET MATHEMATICIS ET CÆTERIS SIMILIBUS.

QUAM,

ADNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRANCISCI FABRICII,

S. S. TH. DOCT. HUJUSQUE FACULTATIS, UT ET ORATORIÆ SACRÆ, IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESS. ORDIN. SOCIET. REGIÆ ANGLIC. DE PROMOVENDO EUANGELIO IN PARTIBUS TRANSMARINIS SOCII: NEC NON ECCL. LEIDENSIS PASTORIS.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& Nobilissimae FACULTATIS JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

PETRUS TOLLOZAN, Lugduno-Batavus.

Ad diem 9. Martii 1736. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. & HERM. VERBEEK, 1736.

VIRIS
INTEGERRIMIS, SPECTATISSIMIS.

D. JOANNI JACOBO TOLLOZAN,

APUD LEIDENSES MERCATORI FIDELISSIMO, PATRI MEO OPTIMO, INDULGENTISSIMO, OMNI FILIALI PIETATE NUNQUAM SATIS COLENDO.

D. JOANNI GASPARO TOLLOZAN,

D. SIMEONI PETRO TOLLOZAN,

MERCATORIBUS FIDELISSIMIS, PATRUIS MEIS EXOPTATISSIMIS, PROPTER EXIMIAM MIHI PRAESTITAM BENEVOLENTIAM, GRATO ANIMO AC SINGULARI AMORE AD ROGUM USQUE PROSEQUENDIS.

Hasce Studiorum Primitias ea qua par est reverentia.

D. D. D.

PETRUS TOLLOZAN.




LECTORI.



Etsi tenuibus & nullius pretii pagellis ambitiosas præfationes prætexere ridiculum mihi videatur, non possum tamen quin hic Lectorem pauca moneam. Cum casu in hanc materiam de Maleficis & Mathematicis incidissem, satis arrisit, nec enim injucunda, nec toties ac aliæ pertractata, videbatur. Non prius vero manus ad eam applicui, quam de ordine hæsitare cœpi. Omnes Artis Divinatoriæ species inquirere, ac singulatim exponere, non tantum Dissertationis Inauguralis modum, sed etiam vires meas in infinitum superabat. Ab altera parte Fragmenta quæ in Jure nostro circa hanc materiam reperiuntur non facile ad certa capita referri possunt, nec adeo multa sunt ut sibi invicem magnam lucem præbere queant. Tandem cum considerarem Leges quæ in Codicibus Theodosii & Justiniani extant, ordine Chronologico esse dispositas, multaque ad eas illustrandas ex Historia petenda, animum cepi rem ab initio ordiendi, ac fata Artium Magicarum & Mathematicarum ordine Historico a XII *Tabulis usque ad Tempora ultimæ legis Codicis Theodosiani sub hoc titulo persequendi, & ad singula tempora, Fragmenta tam Pauli ac Ulpiani quam Imperatorum integra exscribendi. Ea vero quæ ad illorum explicationem tum ex veteribus Poëtis, Historicis &c. tum ex eruditissimorum Themidis Antistitum scriptis colligere potui, in speciem fere Commentarii subnectere constitui, ita ut me intra terminos Juris*

Romani continerem aliorumque Populorum jus intactum relinquerem. Potuissent etiam hic quam plurimæ quæstiones tractari quæ moventur circa illos qui Artes Magicas exercent aut saltem exercere creduntur, veluti de Potestate Diaboli, de Vi Imaginationis qua aliquando miseri homines abrepti, putant se sacris abominandis interfuisse quibus nunquam interfuerunt, & similibus. Verum bene gnarus quam periculosum sit in aliena peculia manus injicere, malui ab illis in totum abstinere, nec onus suscipere quod humeri ferre recusarent. Intra Jurisprudentiæ ac Historiæ limites ergo me recipiens plerumque cum Jurisconsultis & Imperatoribus nostris locutus sum, fidem eorum quæ de Magis traduntur aliisque similibus in medio relinquens. Illud præterea monitum volo me eruditionis laudem non captare; nihil boni hic invenies quod non a summis Jurisconsultis Gothofredo, Schultingio, Bynkershoekio mutuatus sim: quæ vero perperam scripta offendes ea procul dubio mea sunt. Illud unice conatus sum, omnia fragmenta quæ de Maleficis, Mathematicis, cæterisque similibus, in Jure nostro extant, colligere, justo ordine disponere, iisque brevem ac necessariam explicationem subjicere; cumque nihil dicere possem quod non jam dictum prius, summopere animum applicui, ne quid inutile aut quod nimis extra materiam evagaretur, afferrem, quod si præstiterim satis mihi gloriæ reportasse videbor.



DISSERTATIO PHILOLOGICO-JURIDICA INAUGURALIS.

DE

MALEFICIS ET MATHEMATICIS ET CÆTERIS SIMILIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Magia, & ejus fata apud pleroſque Populos.

§. I.

Duo præſertim hominum genera nobis conſideranda veniunt. *Magi* qui vulgo *Malefici* dicuntur & *Mathematici*; hi varias ſub ſe ſpecies continent. Multo autem facilius eſt enarrare quid circa *Magiam* ſtatuerint veteres, quam liquido definire quid per verbum illud intellexerint; videbimus enim multas reli-

gio-

gioſas cærimonias, ab illis quæ Magis tribuuntur parum aut nihil differre niſi forte in ſola animi deſtinatione. Quid Chriſtiani per crimen *Magiæ* intelligant dubium non eſt, vulgo quippe ita vocantur *artes illæ ſupra humanam poteſtatem, quæ ex vi pacti cum Diabolo exercentur.* Non multum tamen ab hac definitione diſcrepare videtur ſententia veterum; ſi enim loca in quibus *Magiæ* fit mentio perpendantur, ubique fere obſervare licebit, nihil aliud per *Magiam* intellexiſſe præter *artem quæcunque, quantumvis ſupra hominum vires, peragendi, plerumque ad malum aliquod conciliandum, vel ſaltem ad futuri indagationem, idque fere ſemper per inferorum numinum invocationem, aut ſola vi carminum, herbarum &c.* Definitionem illam eſſe omnibus numeris abſolutam non contendo, ſed in re obſcura & de qua forte non una fuit veterum ſententia clarior ac quæ melius omnia complecteretur mihi non occurrit. Si quis aliam adhibere velit per me licebit, de ſingulis ſpeciebus clarius infra dicemus.

Mathematici in genere videntur eſſe omnes *qui ſine inferorum aut carminum ope, futura prædicere pollicentur,* ſpecialiter vero ita vocantur *qui ex nativitatis hora certiſque figuris aut Aſtrorum inſpectione futura prædicunt,* de illis etiam infra late agemus. Jam quædam de Origine harum artium & earum fato apud varios Populos videamus, ſed breviter ſemperque ad ſcopum noſtrum Populum Romanum properantes.

§ II. Unde *Magia* originem trahat eleganter nos docet Plin. *Hiſt. Nat. Lib.* 30. *cap.* 1. *Auctoritatem ei* (Magiæ) *maximam fuiſſe nemo miretur quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas in unam ſe redigit. Natam primum e Medicina nemo dubitat, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, velut altiorem ſanctioremque Medicinam: ita blandiſſimis, deſideratiſſimiſque promiſſis addidiſſe vires Religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque ſuggeſſerit miſcuiſſe artes Mathematicas, nullo non avido futura de ſeſe ſciendi, atque ea ex cœlo veriſſime peti credente, ita poſſeſſis hominum ſenſibus triplici vinculo ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat & in Oriente Regum Regibus imperet.* Pulchre ac

vere

vere rem exposuit Plinius, spes medelæ, vana superstitio, inanisque curiositas artes magicas in orbem invexere. At si quæratur, quis primus earum usum introduxerit, major erit difficultas. Plinius *l. c.* & cum eo omnes fere Antiqui Scriptores, uno ore *Zoroastrem* quendam tanquam inventorem *Magiæ* nobis tradunt. Si vero res perpendatur ingentes de eo inveniemus diversitates, Alii Regem Bactrianæ, Nini Regis Assyriæ æqualem & hostem fuisse contendunt vid. Justin. *Lib.* 1. *cap.* 1. quod ab aliis refutatur, qui Persam fuisse nec diversum a celebri illo *Zoroastre* qui tot & tantas res in Religione apud Persas molitus est, asserere non dubitant; at illi iterum refutantur a Viro Doctissimo, Humfrey Prideaux qui in Historia Judæorum *Part I. Lib.* 4. *p.* 383. *vers. gal.* luculenter & erudite ex libro Celeb: Hyde *de Religione Persarum* ostendit, famosum illum *Zoroastrem* demum tempore Darii Hytaspis vixisse, adeo ut nullo modo pro inventore artium Magicarum haberi possit. Verum ne multum laboremus de re admodum incerta nec magni momenti.

§. III. Apud Judæos artes Magicas incognitas non fuisse patet ex variis locis Sacræ Scripturæ vid. *Exod. cap.* 7, 8. *Deuteron. cap.* 18. v. 9. I. *Sam. cap.* 28, II. *Chronic. cap.* 33. Sed de illis manus abstineamus, ne forte nobis a Theologis actio termini moti intendatur.

Babylonii & Chaldæi primi omnium Astrorum cursum inspexere & inde se futura prædicere posse jactarunt: cum vero Astronomia coli nequeat sine opera Matheseos ut major ipsorum vaticinationibus fides adhiberetur, omnia se ex regulis certissimæ istius scientiæ definire profitebantur; unde postea omnibus qui illo vel simili modo futura se cognoscere gloriabantur *Mathematicorum* vel ex gente cui originem debebant *Chaldæorum* nomen datum est, ut testatur Gell. *Noct. Attic. Lib.* 1. *cap.* 9. *&* *Lib.* 14. *cap.* 1. unde etiam Horatius *Lib.* 1. *od.* 11. v. 3.

Nec Babylonios
Tentaris numeros.

Magiæ etiam addictos fuisse colligi potest ex *Daniel. c.* 2. v. 2.

§. IV. Nullibi vero ad tantum faſtigium pervenit Magia quam apud Perſas a quibus etiam nomen accepit. Notum eſt Magos in regno Perſarum fuiſſe viros nobiles ac ſcientia præditos qui ſacris præerant, ritus eorum explicabant, ita ut ſine illis ſacrum nullum poſſet peragi, recteque Apulej. *Apolog. p. m.* 290. *Perſarum lingua Magus eſt qui noſtra Sacerdos.* Haruſpicinam exercebant, omniaque media futuri cognoſcendi avide proſequebantur; penes illos erat omnis Theologiæ ac Philoſophiæ ſcientia, & magno honore colebantur, in tantum ut ipſis cura educandæ regiæ prolis committeretur. Horum ſcientia certæque ipſis peculiares ſententiæ in quibus ab aliis diſcrepabant, Magia vocabantur, de quibus hic diſſerere non vacat; late de illis agit Briſſon. *de Regno Perſar. Lib.* 2. *cap.* 52. *& ſeqq.* & accuratius Prideaux loco ſupra laudato. Cum vero hujus Magiæ pars non contemnenda poſita erat in Arte Divinatoria, alii Populi qui Perſas odio proſequebantur, hoc nomen dederunt artibus nefandis eorum, qui ſub prætextu Divinationis etiam maxima ſcelera perpetrabant. Odium illud duplici de cauſa oriebatur. Prima quod apud Perſas nuptiæ inceſtuoſæ licitæ erant (de qua re vid. farraginem autoritatum quam collegit Oiſell. *ad Caj. Inſt. Lib.* 1. *Tit.* 4. §. 1.) in tantum, ut ſi Catullo credamus, Magus naſci oporteret ex conjugio inter matrem & filium.

Naſcatur Magus ex Gelli matriſque nefando
Conjugio, & diſcat Perſicum Haruſpicinum.
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia relligio.

Quam doctrinam, cum omnes fere populi deteſtati ſint, mirum non eſt, ſi Magos odere. Secunda ratio eſt, odium quo Magi & omnes Perſæ, imagines ac ſimulacra Deorum proſequebantur; nullas enim apud ſe ſtatuas habebant vid. Briſſon. *de Regno Perſar. Lib.* 2. *cap.* 28. Et quando Perſæ Græciam invaſerunt omnia fana ac Templa fuere combuſta, odio ſtatuarum, præter ſola Apollinis in Inſula Delo, & Dianæ Epheſi, quia in illis Sol & Luna maxima Magorum numina colebantur, teſte Cicerone *in Verr. Lib.* 1. *cap.* 18. Si duas

has

has caufas conjungamus in proclivi erit ni fallor rationem reddere quare nomen Magiæ adeo factum fit infame ut eo infignirentur homines maxima fcelera perpetrantes & impiîffimis fuperftitionibus dediti.

Apud Græcos artes Magicas ufitatas fuiffe patet ex innumeris Autorum locis, quorum multa collegit vir magnæ eruditionis Petrus Bayle *Reponfe aux Queftions d'un Provincial Tom.* I. *p.* 569. *ed. in fol.* maxime autem in ufu erant apud Theffalos, adeo ut mulier Theffala fæpe unum ac idem cum faga apud Poëtas, fignificet.

§. V Pervenimus jam ad Romanos, ad quos pertinet hujus Differtationis inftitutum. Libera Republica de Magicis artibus non multum fuit cautum, fed accerrime in illas infurrexerunt Imperatores, ut poftea videbimus. Antequam autem fata Magiæ & Mathematicæ ufque ad tempora Pauli ac Ulpiani inveftigemus unam hic addere libet obfervationem, nempe quod ex ipfis ritibus ac unice infpectis difficile fuerit apud veteres, dignofcere an facrum fuerit Magicum nec ne; quam plurima enim facra publice exercita ac probata adeo cærimoniis Magicis fimilia erant ut ne ovum ovo fimilius, quod recte oftendit vir jam laudatus Bayle *dans les Rep. aux Queft. d'un Provinc. p.* 580. ibique exemplum adducit facrorum Deæ *Tacitæ* quæ defcribit Ovid. *Faft Lib.* 2. *v.* 571. *&* *feqq.* cui addi poteft aliud exemplum a Viro illuftri prætermiffum, verum æque notabile, nempe *Lemuralia* itidem defcripta ab Ovid. *Faft. Lib.* 5. *vf.* 420. Putat ergo V. C. non aliter veteres diftinxiffe inter actus Magicos & ritus quofdam religiofos quam per confilium, & animi deftinationem qua adhibebantur. Si ex. gr. Deis inferis facrum fiebat mali infligendi hominibus, beftiis, graminibus &c aut animum ad libidinem deflectendi gratia, Magicum videbatur, fi vero ad publicam utilitatem aut fimile quid Pium & Religiofum erat. Recte fe habere hanc obfervationem facile concedo & paffim in hac Differtatione obfervare licebit, fere femper Magos punitos fuiffe, non tam propter profeffionem artis Magicæ quam propter animi deftinationem, aut crimina quæ perpetrabant. Verum ut hoc obiter notem,

miror, virum acutiſſimi ingenii ex propria obſervatione non perſpexiſſe, quare ſacra deſcripta a Virgilio *Æneid. Lib.* 4. *v.* 483. Magiæ tribuantur; ea vero quæ a Sibylla peraguntur in *Lib. 6. v.* 243. non item; fatetur enim ſe hujus rei rationem reddere non poſſe. Sed ſacra illa Didonis peragi debebant eo animo, ut iter Æneæ impediretur, vel ſaltem Didonis amor ſolveretur ut ipſa ait *vſ.* 478.

Inveni germana viam gratarve ſorori
Quæ mihi reddat eum vel eo me ſolvat amantem.

Quæ omnia contra fata Deorumque voluntatem ideoque impia erant. Sacra vero a Sibylla peracta eo unice tendebant ut Æneas fata ſua facilius perageret, quod non modo permiſſum, ſed & laudabile piumque videbatur.

CAPUT SECUNDUM.

Fata Magiæ & Matheſeos apud Romanos uſque ad Tempora Pauli & Ulpiani.

§. I.

Antiquis temporibus jam damnatas fuiſſe artes Magicas apud Romanos innuit Servius ad Virg. *Æneid. Lib.* 4. *v.* 492. ubi Dido.

Teſtor Chara Deos, & te germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

Servius autem notat *Magicas adgredi invitam quia cum multa ſacra Romani ſuſciperent ſemper Magica damnarunt. Probroſa enim ars habita eſt ideo excuſat.* In Legibus XII. Tabb. prohibitum erat ne quis fruges excantaret, ceu patet ex verbis Senecæ *Quæſt. Nat. Lib.* 4. *Cap.* 7. *Apud nos in* XII. *Tabb. cavetur ne quis alienos fructus excantaſſit. Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus & repelli: quorum nihil*

poſ-

posse fieri tam planum est ut hujus rei causa, nullius Philosophi schola intranda sit, idem testatur Apulej. *Apolog p. m.* 304 Verbum illud excantare duplicem videtur habuisse significationem; primo de alieno in tuum traducere sic apud Virg. *Eclog.* 8. *vs.* 99.

Atque satas alio vidi traducere messes.

Ubi Servius *Magicis quibusdam artibus hoc fiebat unde & in* XII. *Tabb. neve alienam segetem pellexeris, quod & Varro & multi Scriptores fieri deprehensum animadvertunt*, ex istis verbis quidam aliam legem, ab ea de qua Seneca diversam, confingunt quod tamen necessarium non putat Gothof. *in not. ad Leg.* XII. *Tabb.* Secunda significatio verbi excantare videtur esse impedire ne fructus crescant aut maturescere possint hucque pertinent illa Ovid. *Amor. Lib.* 3. *eleg.* 7. *vs.* 31.

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ,
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva,
Decidit, & nullo poma movente fluunt.

Hæc omnia prohibita fuere XII. Tabulis; nec mirum rudem illam antiquitatem quæ bona fide credebat ista sic facile peragi anxie circa fructus cavisse, quippe hisce temporibus maximæ divitiæ in fructibus consistebant. Qua vero pœna crimen illud vindicatum fuerit nobis non liquet. De Personis alia lege cautum fuisse hunc in modum, *Qui malum carmen incantassit aut malum venenum faxit duitve Parricida esto* colligi potest ex Plin. *Hist. Nat. Lib.* 28. *cap.* 2. *L.* 236. *D. de V. S.* & perspicue ex Festo *Litt. P. in fin.* si modo recte conjecit Scaliger qui locum ex quo tantum paucissima supersunt ita restituit tribus XXXV. *aut privilegia irrogare, aut de capite civis statuere, nisi maximo comitiatu, vetant* XII. *Tabularum leges, præterquam veneficos, quique malum carmen incantant quia ipsi indemnati jure occiduntur*; egregia restitutio, quæque si legitima Festi verba non repræsentat, saltem pulchre convenit cum paucis illis syllabis quæ supersunt, ac recte quid in XII. Tabb. de his incantatoribus cautum fuerit explicat.

De Chaldeis Mathematicis &c. in XII. Tabb. nihil cautum

fuit quod nobis cognitum ſit, nec puto antiquis hiſce temporibus multum de eis cogitatum fuiſſe, utpote rudibus adhuc Romanorum ingeniis nimisque bello deditis, quam ut artibus quarum abuſus vanis iſtis ſuperſtitionibus originem dedit, operam impenderent. Poſtea artes hae ſimul cum Luxuria, Ambitione, Novandi cupiditate aliisque Reipublicae Romanae exitii cauſis in urbem ſe invexere, & varia ibi fata expertae ſunt, ſed eum in modum ut nihil verius ſit quam elegans de Mathematicis dictum Taciti *Hiſt. Lib.* 1. *cap.* 22. *Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra & vetabitur ſemper & retinebitur.*

§. II. Primum de Veneficiis judicium habitum fuit A. U. C. 423. M. Claudio Marcello, C. Valerio Coſſ. quo patefactum eſt quamplurimas nobiliſſimas foeminas venenis urbem infeſtare, ac eo nomine ad centum & ſeptuaginta damnatae ſunt. Vid. Tit. Liv. *Hiſt. Lib.* 8. *cap.* 18. Val. Max. *Lib.* 2. *cap.* 5. *ex.* 3. Non videtur tamen crimen illud ad Magiam pertinuiſſe, potius referendum ad caput de Homine libero, per malum venenum occiſo.

§. III. Anno U. C. 569, Sp. Poſthumio Albino, Q. Marcio Philippo Coſſ. detectum fuit horrendum illud Bacchanalium arcanum. Sub prætextu nempe Baccho ſacrum peragendi, conveniebant noctu vires & mulieres, nullaque ſcelera, nulla flagitia omittebant; totam rem late enarrat Liv. *Lib.* 39. *cap.* 8. *uſque ad* 20, referam tantum ea ex quibus colligi poteſt haec quodammodo ad Magiam pertinuiſſe. *Si qui minus patientes dedecoris ſint* ait Liv. *cap.* 13. *& pigriores ad facinus, pro victimis immolari: nihil nefas ducere hanc ſummam inter eos religionem eſſe. Viros velut mente capta, jactatione fanatica corporis vaticinari, matronas Baccharum habitu crinibus paſſis, cum ardentibus facibus decurrere ad Tibrim, demiſſasque in aquam faces (quia vivum ſulphur cum calce inſit) integra flamma efferre. Raptos a Diis homines dici quos machinae illigatos ex conſpectu in abditos ſpecus abripiant, eos eſſe qui aut conjurare aut ſtuprum pati noluerint.* Haec Livius quibus patet multa

in

in iſtis Orgiis peracta fuiſſe quae vulgo Magis aliisque ſimilibus tribuuntur velut humanarum victimarum immolatio, jactatio corporis fanatica, Vaticinatio &c. Poſthumius in oratione quam ipſi tribuit *Liv. ibid.* memorat jam olim ſaepe magiſtratibus negotium datum fuiſſe ut vaticinatores ex urbe ejicerent, libros conquirerent, comburerentque, quando vero hoc factum ſit non addit, forte reſpexit Livius ad ea quae ipſe retulit *Lib.* 4. *cap.* 30. ad A. U. C. 327. & *Lib.* 25. *cap.* 1. ad A. U. C. 539. quibus locis tale quid deprehendimus, de quo infra. Multi hujus nefandae conjurationis rei capite damnati ſunt, factumque atrox de Bacchanalibus Senatusconſultum, quod etiamnum hodie integrum extat.

§. IV. Anno demum 614. edictum propoſitum fuit nominatim adverſus Chaldeos, teſte Val. Max. *Lib.* 1. *cap.* 3. *ex* 2. en ejus verba, *C. Cornelius Hiſpalus Praetor Peregrinus, M. Popilio Laenate, Cn. Calpurnio Coſſ. edicto Chaldeos intra decimum diem abire ex Urbe & Italia juſſit, levibus & inneptis ingeniis fallaci ſyderum interpretatione, quaeſtuoſam mendaciis ſuis caligiem injicientes.*

§. V. L. Cornelius Sylla Dictator, inter alias leges quibus Rempublicam & Juriſprudentiam auxit, anno 572. tulit celebrem illam Legem Corneliam *de Sicariis & Veneficiis*; Varia ejus fuere capita, paſſim collecta reperiuntur nec nobis otium eſt ſingula exponere. Caput quintum ſolum proprie ad nos pertinet in eo de Veneficis actum fuit teſte Marciano in *L.* 3 *pr. D. ad Leg. Corn. de Sicar.* verba Legitima nobis exhibet Cicero *pro Cluent. cap.* 54. *Jubet lex ea. .... judicem quaeſtionis cum eis judicibus qui ei obvenerint ... quaerere de veneno. In quem quaerere? infinitum eſt. Quicunque fecerit, emerit, vendiderit, habuerit dederit.* Ex his verbis patet lege nominatim cautum fuiſſe tantum de illis qui venenum malum proprie ita dictum adhibuerint, poſtea vero additis Senatusconſultis, ac Interpretatione prudentum, ad varia lex fuit extenſa, praecipue ad crimen Magiae, inde Modeſtinus ait *L.* 13. *D. ad Leg. Cornel. de Sicar. Ex Senatusconſulto ejus legis poena damnari jubetur qui mala ſacrificia fecerit habuerit,* quod proprie

ad

ad Magiam pertinere videbimus; inde etiam Paulus *Senten. Lib. 5. Tit. 23.* agit de Magis & similibus sub Titulo de Lege Cornelia. Perspicue autem Imperator Justinianus §. 5. *Inst. de Pub. Jud. Eadem lege* (Cornelia) *& venefici capite damnantur, qui artibus odiosis tam venenis quam susurris Magicis homines occiderint, vel mala medicamenta vendiderint.* Praetor ergo qui ex Lege Cornelia de Veneficiis cognoscebat proculdubio etiam de Magia quaerebat.

Poena Legis Corneliae proprie erat Aquae & Ignis interdictio, postea in ejus locum successit in Insulam deportatio, tempore vero Pandectarum humiliores *ex vulgi faece* Bestiis objiciebantur, honestiores *qui nullo quidem honore conspicui nec tamen ex vulgi faece*, capite puniuntur, *qui vero in honore aliquo sunt positi* veluti Principales in civitate ac Decuriones *deportari solent*, ut id more suo eleganter ostendit, vir omni laude major cujus verba retulit Antonius Schulting. *ad Paul. Sent. Lib. 5. Tit 23. §. 1. not. 9.* In sequentibus videbimus hanc poenam ordinario fuisse usitatam.

§ VI Tempore quo C. Julius Caesar rebus potitus est, artem Mathematicam prohibitam fuisse non videtur. *Suet. in Vit. Augusti cap. 94.* referens prodigia quibus olim Augusto imperium promittebatur, ait, illum consulendi gratia *Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippa* adscendisse. Pergulae autem erant loca in quibus publice artes liberales docebantur, ceu id recte ostendit Vir summus Claud. Salmas. *ad Vopisc. vit. Saturn. cap.* 10. (inter Historiae Augustae Scriptor. *Tom. 2. p. 733. ed. in* 8°.) si ergo Mathematici habuerint pergulas sequitur artem fuisse etiam publice comprobatam. Cum vero Theogenis Augusto magna ac incredibilia praedixisset, quae postea eventu fuere confirmata, *tantam fiduciam fati Augustus habuit ut Thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota Syderis Capricorni quo natus est percusserit, Suet. l. c.* Bis tamen eo Imperante ex urbe fuere expulsi Mathematici, Anno 721. & 761. vid. Dion. Cass. *Lib. 49. & 56.*

§ VII. Tiberius per tempus quod apud Rhodum peregit, artem Mathematicam Magistro Trasullo didicit, postquam ejus so-

ſolertiam expertus eſſet eo modo quem refert Tacit. *Annal. Lib. 6. cap.* 21. huic arti admodum addictum fuiſſe teſtatur etiam Suet. *in Tiber. cap.* 69. Ipſe tamen Tiberius Mathematicos ex Italia Senatusconſulto expulit, cujus rei occaſionem diligenter narrat Tacit. *Annal. Lib.* 2. *cap.* 27. *& ſeqq.* idque etiam hic breviter referemus, tum quia hujus Senatusconſulti mentio fit in notabili fragmento Ulpiani apud Pariatorem *Legg. Moſaic. & Roman. Tit.* 15. §. 2. de quo poſtea, tum propter notanda haec Taciti verba *tum primum reperta ſunt quae per tot annos Rempublicam exedere*, calumniae ſcilicet quibus infames Delatores, viros ſanctos & quorum crimen unicum erat nullum flagitium commiſiſſe, ſub praetextu conſultationis adverſus Principem aut Rempublicam certae ac crudeli morti mancipabant, quod malum ad illud tempus ignotum, poſtea ſub peſſimis Principibus adeo excrevit, ut nil tam venerandum, nil tam ſanctum, quod non ſub inſidiis iſtis nefandis corruerit.

Libo Druſus ex familia nobiliſſima Scriboniorum, erat juvenis facilis ac improvidus, Firmius Catus Senator ex intima ejus amicitia, eum impulit ut Chaldeos, Magos & ſomniorum interpretes conſuleret, hortaturque ad magnum luxum nobilitatem ſuam ipſi oſtentans, cum ſatis teſtium habere credidit, omnia ad Tiberium defert, is iram continens Libonem amice ut ſolebat accipit, ipſum Praetorem creat, donec Junius quidam, tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret ad Fulcinium Trionem indicium detulit, is (ut erat ejus ingenium celebre inter accuſatores) Conſules adit, Senatus cognitionem poſcit. Libo conatus Tiberium deprecari inanes preces effundit, multa ipſi crimina objiciuntur, inter caetera ſua manu nominibus Caeſaris aut Senatorum additas atroces vel occultas notas, negante reo, ſervi contra jus indigno artificio in caput Domini torquentur, militibus domus Libonis cingitur, miſer ille tandem deſperatione adactus mortem ſibi conſcivit, mox variae inventae adulationes quibus Tiberio placerent, factaque Senatusconſulta de Magis & Mathematicis Italia pellendis. Haec Tacitus ad annum 769, Ulpianus vero & Dion Caſſius id referunt ad ann. 770.

Non tamen admodum acerbe illos habuit Tiberius; *deprecantibus* enim *ac se artem desituros promittentibus, veniam dedit* Suet. *in Tib. c.* 36. Quippe metuebat tantum ne sub praetextu consultationis Mathematicae, aliquid contra ipsius imperium aut salutem moveri posset..

§ VIII. Sub Caligula prohibitam non fuisse artem Mathematicam forte colligere lîcet ex eo quod Suetonius refert *in ej. vit. cap.* 57. *Consulenti* (Caligulae) *de genitura sua Sylla Mathematicus certissimam necem appropinquare affirmavit.* Sub Claudio Anno U. C. 805. *De Mathematicis Italia pellendis factum Senatusconsultum atrox & irritum*, Tacit *Annal. Lib.* 12. *cap.* 52. quid autem specialiter eo cautum, aut qua de causa irritum fuerit nobis non retulit Historicus.

§. IX. Neronem artibus Mathematicis Magisque, impense favisse nos docet Plin. *Hist. Nat. Lib.* 30. *cap.* 2. Imo cum post matris caedem furiis agitaretur *facto per Magos sacro evocare manes & exorare tentavit* teste Suet. *in Neron. cap.* 34. postea vero animum mutavit easque summo odio prosecutus est. Hoc tempore tamen floruit celebris Mathematicus Seleucus de quo Suet. *in Oth. cap.* 4. *Eodemque momento & ipse* (Otho) *spem imperii cepit magnam quidem ex conditione temporum, sed aliquanto majorem ex affirmatione Seleuci Mathematici. Qui cum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc ultro inopinatus advenerat imperaturum quoque brevi repromittens.* De eo etiam meminit Juvenal. Sat. 6. §. 556, ubi mulieres irridens quae nihil agunt nisi prius consulto Astrologo, inquit

Praecipuus tamen est horum qui saepius exul,
Cujus amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obit, & formidatus Othoni.

Quibus verbis Seleucum indicat ex cujus praedictione Otho spem imperii ceperat, Galbamque occiderat. Ex istis etiam colligi potest, Seleucum illum fuisse exilio punitum, sub Nerone forte, propter praedictionem quam modo ex Suetonio adduximus.

§. X. Vitellius edictum proposuerat *quo jubebat intra Ka-*

len-

lendas Octobris Urbe Italiaque Mathematici excederent. Chaldaei contra, etiam specie edicti proposuere *ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam esset*, quod ipsi adeo stomachum movit ut quisque ex *vernaculis* & Mathematicis deferretur eum inauditum capite puniret. Haec Suet. *in Vitell. cap:* 14. locus ille multum exercuit viros doctos, quinam sint illi *vernaculi* non facile erat explicare, inde varie verbum illud emendarunt, legendo, *divinaculis*, *veraculis* &c. sed magna Reipublicae Litterariae decora Casaub. *ad Suet. l. c.* Gronov. *de Pecun. vet. Lib.* 4. *cap.* 10. Salmas. *ad Capitol. in vit. Macrin. cap.* 13. eruditissime ostenderunt nihil esse mutandum, & Suetonium per Vernaculos intelligere circulatores illos qui artem scurrilem exercent, Plebemque in foris ac triviis magnis promissionibus misere ludunt, quos (ut recte notat Salmas. l. c.) Galli vocant *Charlatans.*

§. XI. Sub Vespasiano meliora tempora vixisse videntur Mathematici, Tacitus saltem Hist. *Lib.* 2. *cap.*78. refert Vespasianum ab illa superstitione vacuum non fuisse, *ut qui rerum dominus Seleucum quendam Mathematicum rectorem & praescium palam habuerit*, unde probabile videtur nullas adversus id genus hominum leges hoc tempore conditas fuisse. Filius Vespasiani Domitianus è contra acerbe illos habuit, quod colligo ex Sueton. *in Domit. Cap.* 15. ubi omina mortis Domitiani referens sic infit, *Nulla tamen re perinde commotus est quam responso, casuque Ascletarionis Mathematici: Hunc delatum nec infitiantem jactasse se, quae providisset ex arte, sciscitatus est, quis ipsum maneret exitus, & affirmantem fore ut brevi laceraretur a canibus, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque acuratissime imperavit &c.* Ad hæc verba notandum Ascletarionem *delatum* fuisse, quod procul dubio crimen indicat, ac confitentem interfectum fuisse, quod tanquam ordinarium refertur, jussum vero eum sepeliri tantum ad coarguendam temeritatem artis, e quibus haud difficulter eliciemus artem illam sub Domitiano fuisse crimen capitale.

§. XII. Quantum Hadrianus artibus Magicis ac Mathema-

ticis fuerit deditus neminem fugit. Spartian. *in ej. vit. cap.* 16. *Mathesin sic scire sibi visus est ut sero Calendis Januariis scripserit quid eo toto anno posset evenire.* De Magia testantur ea quæ referunt Scriptores de morte Antinoi, quem adeo deperdite amabat ac muliebriter deflevit. Narrant enim Antinoum se devovisse ut Hadriani fata produceret, quod fieri posse dicebatur, modo aliquis non invitus pro eo mortem subiret, quod cum alii detrectarent Antinous se obtulit vid. Aurel. Vict. *in Cæsarib.* Dion Cassius vero affirmat Antinoum se devovisse non ut Hadriani vitam produceret, sed ut ex ejus visceribus Magi possent futura eruere, probabiliora tamen videntur quæ habet Aurelius, vix enim putarem Hadrianum voluptates suas sic crudeli morti dedere voluisse ad solam futuri indagationem Vid. Bayle *Dict. Hist. & Crit. Art. Antinous rem. B.*

§. XIII. Quid de Mathematicis aliisque cautum fuerit tempore Antonini Pii mihi non est compertum. Id unice notandum Apulejum sub eo & filio M. Aurelio vixisse, ac ut videtur Pio adhuc vivente, cum Magiæ accusaretur elegantem Apologiam quæ hodie superest, ad Claud. Maximum Proconsulem Africæ recitasse; id colligitur ex loco ipsius Apolog. *p. m.* 327. ubi Imperatorem Pium nominans non addit *Divum*, solitum defunctorum epitheton.

§. XIV. M. Antoninum Philosophum etiam inanibus hisce rebus fidem adhibuisse, volunt Historici. Lamprid. *in vit. Heliogab. cap.* 9. memorat tempore Heliogabali qui bellum Marcomannis inferre volebat *dictum esse a quibusdam Marcum Antoninum id egisse, ut Marcomanni Populo Romano semper essent devoti ac amici, idque factis carminibus & consecratione* Nescio an hic referam narrationem Capitolini *in vit. M. Ant. Philos. cap.* 19. nullam enim fidem mereri mihi videtur, refert, *Faustinam quondam Pii filiam Marci uxorem, quum gladiatores transire vidisset, unius ex his amore succensam, quum longa ægritudine laboraret, viro de amore confessam. Quod cum ad Chaldæos Marcus retulisset, illorum fuisse consilium ut occiso gladiatore sanguine illius sese Faustina sublavaret* (Salm. cum MS. & antiq. edit. legit *sublevaret* idque interpretatur sanguinem

nem ebibere tanquam remedium) *&* *sic cum viro concumberet.* Egregia certe narratio: Faustina quæ (teste ipso Capitol. *l. c.*) *apud Cajetam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias eligebat*, propter amorem ægritudinem contraheret, id viro fateretur, misero illo gladiatore occiso sanguine ejus potius quam ipsius opera uteretur, idque Antoninus omnium principum mitissimus permitteret; absit tam ridiculis fabulis fides. Adde quod ipse Capitolinus id non tanquam certum sed tantum ut vero simile adducit; sed hercle Scriptorem qui non melius judicio suo utitur non magni facere possum.

Quidquid hac de re sit, nulla quod sciam Antonini Philosophi de Magis aut Mathematicis extat constitutio. Nec de ejus filio Commodo quicquam notandum occurrit nisi quod sub ejus Imperio, Severus qui postea Imperium adeptus est, *in Sicilia reus factus apud Praefectos Praetorio, quibus audiendus datus fuerat, jam Commodo in odium veniente absolutus est, calumniatore in crucem acto.* Vid. Spartian. *in vit. Sever. cap.* 4. De Didio Juliano qui regnum tantum per duos menses tenuit notat idem Spart. *in ej. vit. cap.* 7. illum Magiae admodum fuisse addictum, ita *ut per Magos pleraque faceret quibus putaret vel odium populi deliniri, vel arma militum compesci.*

§. XV. Pervenimus ad Antoninum Caracallam, sub quo Paulus ac Ulpianus vixere. Herodian. *Lib.* 4. *cap.* 23 testatur eum fuisse curiosum omnium artium Magicarum, ita ut omnes Magos, Astrologos &c. conquisiverit ut de fine vitae suae eos consuleret, quod sane quis mirari posset, cum ex Pauli & Ulpiani fragmentis, de quibus mox, pateat, severissimis legibus has artes prohibitas fuisse. Sed novum non est Principes ipsos exercere quae in aliis acerbe puniunt, quodque praesertim in hoc crimine locum habere potest, cum fere nihil in eo vindicarent plerique Principes praeter metum ne sub praetextu consultationis aliquid contra ipsorum Majestatem aut vitam committeretur. Caeterum extat Rescriptum *Imp. Antonini* in *l.* 1. *Cod. de Malef. & Math.* in haec verba: *Plus est hominem extinguere veneno quam occidere gladio.* Videtur ea referenda ad Antoninum Caracallam, cum nomine Antonini nul-

lo addito cognomine vulgo in Codice designetur, ut observavit Illustr. Spanheim *Orb. Rom. Exercit.* 2. *cap.* 4. Verum cum non adsit dies nec Consul, nec forte rescriptum sit integrum, qua occasione editum fuerit definiri nequit. Haec de fatis Artium Magicarum & Mathematicarum usque ad tempora Pauli ac Ulpiani. Pergamus jam ad ea quae nobis in hanc rem ex eorum scriptis supersunt & videamus num quid ad illorum illustrationem adferre possimus.

CAPUT TERTIUM.

De Fragmentis Pauli in Sent. Lib. V. Tit. XXIII. & Ulpiani in Collat. Legg. Mosaic. & Rom. Tit. XV.

§. I.

Multa hic de Paulo ejusque vita disserere foret aeque inutile ac taediosum, cum quae de eo dici possunt sexcenties sint a viris doctis exposita & cuique cognita. Magnus hicce Jurisconsultus in Sententiarum *Lib.* 5. *Tit.* 23. agens de Lege Cornelia de Sicariis & Veneficis, aliquid etiam de Magis dixit, quae nobis ab Aniano servata sunt; de istis nunc videamus, quae vero in *Tit.* 21. *De Vaticinatoribus ac Mathematicis* habet cum illis quae apud Ulpianum inveniuntur conjungemus. Quod primum occurrit extat in §. 14. *Quia abortionis aut amatorium poculum dant etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. Quod si ex hoc homo aut mulier perierit summo supplicio adficiuntur.* Haec etiam inveniuntur in *l.* 38. §. 5. *D. de Poen.* ibique pro *si ex hoc homo aut mulier* &c. legitur *si ex hoc mulier aut homo* &c. quod melius cum ordine

ordine orationis convenit ut notat Cl. Schulting. *ad h.l.*

Crimen abortionis olim Romae erat frequentissimum, omnibus bonis quidem damnatum, at nullis legibus coërcitum ante rescriptum Divi Severi & Antonini, quod refert Marcianus in *l.* 4. *D. de extraord. crim.* & ad quod respicit Tryphoninus in *l.* 39. *D. de Poen.* Vid. virum summum Gerard. Noodt *Jul. Paul. cap. ult.* ubi id eleganter probavit. Sed haec proprie ad Magiam non pertinent, magis huc facit quod sequitur de amatorio poculo. Putabant nempe veteres, potionibus quibusdam animos posse deliniri, ac ad amandum adduci, *Philtra* haec vocabant; hujus rei meminit Horat. *Epod.* 5. *vs.* 37. ubi horrendas Canidiae artes describens, ait illam puerum defossum inedia necare

Exesa uti medulla & aridum jecur
Amoris esset poculum.

Iterumque *vs.* 73.

Non usitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput)
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus:
Majus parabo: majus infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusque coelum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic mei flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

Verum (quanta vis Magiae) non tantum potionibus, sed etiam sola vi carminum mens ad omnia poterat deflecti. Loca quibus hoc asseritur congerere infinitum foret, solum Virgilii testimonium sufficiet, in *Eclog.* 8. *vs.* 64.

Effer aquam & molli cinge hae altaria vitta,
Verbenasque adole pingues, & mascula Thura.
Conjugis ut Magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus: nihil hic nisi carmina desunt.

Vide & quae sequuntur ad finem usque, quibus magnus ille artifex Magicum sacrum descripsit, docte, eleganter, sobrie,

ac

ac appoſite, ut nihil ſit ſupra. At ſi quis Poëtarum teſtimonia contempſerit credat ſaltem Plinio *Hiſt. Nat. Lib. 25. cap. 3.* & Plutarcho. *in Lucullo in fin.* qui narrant Lucullo amatorium poculum datum, illumque ex eo periiſſe, credat Amm. Marcellino *Lib. 28. p. m. 359.* ubi crudelitates Maximini Praefectus Annonae referens, ait, *mors Marini cauſarum defenſoris eminuit: quem ut auſum Hiſpanillae cujuſdam, artibus pravis adfectaſſe conjugium, transeunter indiciorum fide diſcuſſa, ſupplicio lethali damnavit*, ſimilemque caſum refert *p. 364.* quibus in locis, per pravas ac nefarias artes, intelligendas eſſe artes Magicas, docet Gothof. *ad l. 3. Cod. Theod. de Malef. & Mathem.* Haec erat veterum communis ſententia, quanto melius magnus artis amatoriae magiſter, in hiſce verſiculis, adeo lepidis, ut quin eos referam temperare mihi non poſſim

Fallitur, Haemonias ſi quis decurrit ad artes,
Datque quod a teneri fronte revellet equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbae,
Mixtaque cum Magicis, naenia Marſa ſonis,
Phaſias Aeſoniden, Circe tenuiſſet Ulixen,
Si modo ſervari carmine poſſit amor,
Nec data profuerint pallentia Philtra puellis,
Philtra nocent animis vimque furoris habent.
Sit procul omne nefas ut ameris amabilis eſto.

Haec recte Ovid. *Art. Am. Lib. 2. v. 99.* Sed de hiſce jam plus ſatis; iterum a Poëtis ad Juriſconſultos redeamus.

Lege Cornelia tantum tenetur, is qui hominis occidendi gratia, malum venenum dederit *l. 3. §. 2. D. ad Leg. Corn. de Sic.* ubi Juriſconſultus varias vocis veneni ſignificationes enarrans *Ergo* inquit *nomen medium eſt, & tam id quod ad ſanandum, quam id quod ad occidendum paratum eſt, continet, ſed & id quod amatorium appellatur. Sed hoc ſolum notatur in ea lege, quod hominis necandi cauſa habet.* quibus addenda regula contenta in *L. 7. eod. Nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur.* Ex iſtis facile eſt rationem reddere, quare qui Poculum abortionis aut amatorium dederit, in legem Corneliam non incidit; Poculum nempe abortivum non datur hominis necandi gratia, notum

enim

enim eſt, foetum dum eſt in viſceribus matris, veteribus hominem non eſſe *L.* 9. §. 1. *D. ad Leg. Falcid.* ſed tantum partem viſcerum mulieris *L.* 1. §. 1. *D. Ventr. inſpic.* In eo autem qui Philtrum dat, etſi culpa ſit, dolus tamen abeſt, itaque nec ille in legem incidit. Sapienter tamen cenſuerunt Juriſconſulti, haec, cum ſint peſſimi exempli non debere impunita remanere, quam magnum enim crimen ſit, mulieri abortum procurare, quamvis ex principiis Juris Civilis deduci nequit, illos tamen qui ratione ſana utuntur fugere non poteſt, ac quantum periculi in ſe habeat alicui amatorium praebere, exempla paſſim, & illuſtre illud Luculli quod jam retulimus, facile probant. Non immerito ergo humiliores metallis, honeſtiores relegatione amiſſa parte bonorum puniuntur; ſi autem alicui mors praebita ſit, ſummo ſupplicio adficiuntur. Non tradit Paulus unde hoc jus productum ſit Quod ad abortionem, jam monuimus id a Severo & Antonino reſcriptum fuiſſe, forte eodem reſcripto etiam de Poculo amatorio cautum fuit. Ceterum nullum eſt dubium quin hoc pertineat ad alia ſimilia, veluti *odii potionem*, de qua vid. prolixas Quintiliani *Declam.* 14. & 15. Haec de Philtris.

§. II. *Qui ſacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint faciendave curaverint, aut cruci ſuffiguntur aut beſtiis objiciuntur.* haec ſunt verba Pauli in §. 15. *h. t.* Sacra impia ac nocturna hic ſunt ſacra Magica, quae noctu ſolent peragi, ut ex infinitis Poëtarum locis notum eſt vid. Celeb. Broekhuſ. *ad Propert. Lib.* 2. *el.* 1. *v.* 3.

Ait Paulus *ut quem obcantarent*, quod pertinet ad illud *Incantaſſit* XII. Tabb. de quo ſupra, ſi quis nimirum malum carmen adverſus aliquem condiderit, ut eum morte aut alio quovis malo afficiat, etiamſi res effectu caruerit, quod aliter putat Merill. *Obſ. Lib.* 8. *cap.* 4.

Defigerent verbum Magis proprium quando artes ſuas adhibent ad impediendum ne quis aliquid agere poſſit, praeſertim ne quis Veneris opus perficere queat vid. Tibul. *Lib.* 1. *el.* 6. *v.* 5. *ibiq. Broekh.* Varie id fiebat aut enim nomina tabellis inſcribebant & imprecationibus devovebant, aut Imagines ce-

reas faciebant, ad similitudinem eorum quos defigere volebant, illasque acu transfodiebant Ovid Amor. *Lib.* 3 *el.* 7. *v.* 27.

Num mea Thessalico languent devota veneno.
Corpora? num misero carmen & herba nocent.
Sagave poenicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur egit acus.

Confer quae ad haec verba habet *egregius Poëtarum sospitator* Heinsius, de verbo *defigere* prolixissime egit Salmas. *ad Solin. p.* 1088.

Obligarent. Obligare est animam in laqueis amorum ac voluptatum irretitam retinere, quod apud Poëtas per vincire exprimitur. Vid. Broekh. *ad Tibul. Lib.* 1. *el.* 2. *v.* 60. ut & Lindenbrog. *in Gloss. cod. Legg. Ant. voce Ligatura.* Sacra nocturna jam olim erant prohibita, sed alio sensu, nempe ne quid contra Rempublicam molirentur homines inquieti; at postea ex Senatusconsulto, Legis Corneliae *poena damnari jubetur qui mala sacrificia fecerit habuerit L.* 13. *D. ad Leg. Cornel. de Sic.* Tempore Pauli vero poena propria Legis Corneliae jam abolita, qui haec faciunt aut cruci suffiguntur, aut bestiis objiciuntur, quod tamen ad humiliores modo pertinere videtur, ut notat Celeb *Schulting. ad h. l.* quod etiam patet si conferatur §. 1. *ejusd. tit.* ubi Paulus inquit omnia facinora illic enumerata, quibus & veneficium continetur, in honestiores capite, in humiliores cruce aut bestiis puniri.

§. III. Sequitur apud Paulum §. 16. *Qui hominem immolaverint, exve ejus sanguine litaverint, Phanum Templumve polluerint bestiis objiciuntur, vel si honestiores sint capite puniuntur.* Hac superstitione, adeo immani ut vix credibile sit homines tantas crudelitates excogitare potuisse, nulla forte est antiquior. Usitata fuit Religionis causa, apud multos populos, qui putabant Deorum iras facilius placari, si homines pretiosae victimae, immo saepe proprii filii immolarentur.

Tantum Religio potuit suadere malorum.

Religio nempe prava ac superstitiosa; sed de Piis istis crudelitatibus non est hic locus agendi, de iis quaedam erudita habet Celeb. Schulting. *ad h. l.* & consuli possunt Auctores ab

ipso

ipſo laudati. Apud pleroſque tamen populos haec ſacra ſummo jure erant nefaria ac deteſtata, nec uſitata niſi illis qui Magiae erant mancipati, qui praecipue haec agebant ad animas ex inferis evocandas. Ut Poëtas omittam id teſtatur Cicero *in Vatin. cap. 6.* ubi ſic in eum invehitur *quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor ut cum inaudita ac nefaria ſacra ſuſceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos manes mactare ſoleas; auſpicia quibus haec urbs condita eſt, quibus omnis Reſpublica atque Imperium tenetur, contemſeris,* hic & obiter notari poteſt ſignificatio verbi *mactare* pro *placare* de qua vid. Muret. *ad Cicer. in Catil. orat.* 1. *cap.* 11.

Paulus hic non diſtinguit quo animo quis talia ſacra peragat, an Religionis, aut Magiae cauſa, ſed in genere, monet omnes qui hominem immolaverint poenae legis Corneliae ſubjici.

§. III. *Magiae artis conſcios ſummo ſupplicio adfici placuit, id eſt beſtiis objici aut cruci ſuffigi. Ipſi autem Magi vivi exuruntur,* ſic Paulus *in* §. 17. *h. t.* At ut verum fatear haec mihi non ſunt perſpicua, age enim, conferamus quae jam habuimus. Egit Juriſconſultus de illis qui Philtra praebent; de illis qui homines incantant, defigunt, obligant, de illis qui homines immolant, omneſque quod ad poenam pari paſſu ambulare docuit, hic vero ait Magos vivos exuri, quod ſupplicium caeteris gravius exiſtimatur, ut id probat Cel. Schulting. *ad Paul. Sent. Lib.* 5. *Tit.* 17. §. 3. ac eorum conſcii aliis iſtis facinoroſis adaequantur, debent ergo Magi de quibus hic agitur multo atrocius quam alii peccare, quod tamen admodum difficile videtur, quid enim magis nefandum quam homines pro victimis immolare & ex eorum ſanguine litare. De quibus ergo Paulus hic agit? Miror viros doctos de eo nihil *ad h. l.* dixiſſe. Mihi videtur Juriſconſultus, agere de iis qui vi carminum ac impiis ſacris animas ex inferis eliciunt, placidoſque defunctorum manes turbare non verentur, quod ultimus Magicae artis terminus, ſceluſque caeteris multo atrocius, habebatur, & ſemper Romanis abominandum vid. Broekh. *ad Tibul. Lib.* 2. *el.* 2. *v.*45. non

mirum ergo si ipsis Jurisconsultus Magorum nomen κατὲξοχὴν tribuat, gravioremque pœnam minetur. Si hæc non ita se habeant fateor me non videre quid intersit inter Magos de quibus in §. 17. & alios de quibus in præcedentibus actum, aut quæ sit ratio pœnarum diversitatis. Quidquid sit, non tantum autores sed etiam conscii puniuntur, conscii autem non sunt qui sciunt hæc ab aliquo exerceri, sed qui quovis modo participes sunt quod recte hic post Brisson. & Gothofredum notavit Cel. Schulting. Nec hic omittendum non modo professionem hujus artis, sed & scientiam esse prohibitam, librosque circa eam conscriptos, comburendos, quod testatur Paulus in §. 18. *h. t.* at de eo plura videbimus infra.

§. IV. Hæc de Pauli fragmentis, accedamus jam ad ea quæ ex Ulpiano nobis servavit Pariator *Legum Mosaicarum ac Romanarum Tit.* 15. §. 2. ubi exhibet fragmentum notabile, sed non minus corruptum quam cætera fere omnia quæ in exiguo hoc libello continentur, nullum enim antiquitatis monumentum, incuria librariorum, aut vi edacis vetustatis pejus habitum fuit, ita ut sæpe impossibile sit sensum eruere, frustraque laborarint viri docti de ejus laciniis restituendis. Fragmentum integrum, etsi aliquanto longius, hic apponam, prout extat in eruditissima illa *Jurisprudentia Ante Justinianea* Cel. Schultingii *p.* 785.

Ulpianus Libro 7. de officio Proconsulis; sub titulo de Mathematicis & Vaticinatoribus. Præterea interdicta est Mathematicorum callida impostura, & obstinacitate persuasio. Nec hodie primum interdici placuit: sed vetus hæc prohibitio est. Denique extat Senatusconsultum Pomponio & Rufo Coss. factum, quo cavetur, ut Mathematicis, Chaldæis, Ariolis, & cæteris qui similem incertum fecerunt aqua & igni interdicatur: omniaque bona eorum publicentur, & sic æternus gentium qui si id fecerit ut in eum animadvertatur. Sed fuit quæsitum utrum scientia hujusmodi hominum puniatur an exercitio & professio. Et quidem apud veteres dicebatur, professionem eorum non notitiam esse prohibitam. Postea variatum: nam dissimulandum est nonnunquam inrepsisse in usum, ut etiam profiterentur, & publice re-

reprehenderent. Quod quidem magis per contumaciam & temeritatem eorum factum est qui visi erant vel consulere vel exercere, quam qui fuerant permissum. Sæpissime denique interdictum est ne quis hujusmodi ineptiis se immisceret: & varie puniti sunt hi qui id excercuerunt pro, mensura scilicet & consultationis. Nam qui de Principis salute, capite puniti sunt, vel qua alia graviore pœna adfecti. Enimvero si quidem suasorumque levius, inter hos habentur quam vaticinatores, hii quoque plectendi sunt: quoniam nonnunquam contra publicam quietem, imperiumque Populi Romani improbandas artes excercent. Extat denique decretum Divi Pii ad pacatum legatum Provinciæ Lugdunensis, cujus rescripti verba, quia multa sunt de fine ejus ad locum hæc pauca subjecit. Denique Divus Marcus, eum qui motu Cassiano vaticinatus erat, & multa quasi extinctu Deorum dixerat, in insulam Syrum relegavit, & sane non debent impune ferre hujusmodi homines, qui sub obtentu & monitu Deorum quædam vel renuntiant vel jactant, vel scientes eos fingunt.

Ulpianus *Libro 7. de officio Proconsulis.* In Provinciis omnis jurisdictio, omnis criminum cognitio, erat penes Proconsulem *L. 7. §. 2. D. de Off. Proconf.* quæ est ex eodem Ulpiani opere. Non mirum ergo, de officiis hujus Magistratus agentem etiam de variis criminibus egisse. Id specialiter fecit Ulpianus in Libro 7. ceu patet ex inscriptionibus plurimarum legum ut *L. 1. D. ad Leg. Jul. Majest. L. 6. D. de vi Publica &c.* vid Cel Schulting. *differt. pro rescript. Imperat.* §. 5. ubi etiam refutat sententiam eorum, qui ex loco Lactantii *Inst. Div. Lib. 5. cap.* 11. vitiose edito, putant Ulpianum septem integros hujus operis libros impendisse, in colligendis Imperatorum adversus Christianos rescriptis, qui id fecit tantum in libro illo septimo, in quo de criminibus ipsi sermo erat.

Sub titulo de Mathematicis & Vaticinatoribus. Jurisconsultorum morem jam olim fuisse, libros in varios titulos distinguere, plus notum est quam ut monere necesse sit Vid. Schulting. *ad Inscrip. Sent. Pauli.* Mathematici qui ut Gellius notat *Noct. Attic. Lib.* 1. *cap.* 9. gentilitio vocabulo Chaldæi dici deberent, sunt qui ex Syderum motu futura erui posse contendunt Cicero *de Divin. Lib.* 1. *cap. Chaldæi non ex artis sed*

ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione Syderum, scientiam putantur effecisse, ut prædici posset quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset. Hi etiam *Astrologi* vocantur, Juvenal. *Sat. 6. v. 552.*

Chaldæis major erit fiducia; quidquid
Dixerit Astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis.

Hic vero per Mathematicos, intelligi possunt omnes qui quocunque modo, præter Magiam, futura prædicunt, ut jam observavimus in initio hujus Dissertationis. Vaticinatores nobis definit Paulus Sentent. *Lib. 5. Tit. 21.* ubi & ille quædam de *Mathematicis & vaticinatoribus* habet. *Vaticinatores* inquit *qui se Deo plenos adsimulant.*

Præterea interdicta est Mathematicorum callida impostura & obstinacitate persuasio. Verbum *præterea*, facile indicat hæc esse excerpta, ex loco quo Ulpianus de aliis ejusdem generis nebulonibus egerat, verum de quibus non liquet, forte de Magis. Scribit hic Ulpianus artem Mathematicam esse prohibitam, Lampridius autem *in vit. Alexandri Severi cap. 27.* (sub quo etiam Ulpianus vixit) testatur Mathematicos publice ejus jussu docuisse. Ne quis ergo putet hæc contraria esse, notandum est, libros de Officio Proconsulis jam sub Caracalla conscriptos fuisse, ut patet ex *l. 4. pr. L. 6. §. 3. D. de Off. Proconf. L. 6. D. de Legation.* & aliis ex his libris desumptis quibus mentio fit Caracallæ tanquam adhuc viventis.

Obstinacitate persuasio, quid sibi volunt haec verba? procul dubio sunt corrupta, at quomodo restituenda? quidam ediderunt *obstinata persuasio* sensu plano, nihil tamen mutare voluit Cel. Schulting. *ad h. l.* A. Praeses a Bynkershoek *Obser. Lib. 6. cap. 5.* reponit *obstinacitatis persuasio*, ob praedictiones nempe quibus animos obdurant, ut ipse loquitur. De eo quod additur veterem hanc esse prohibitionem hic nihil notabimus, id enim jam supra *in cap. 2.* ostendimus, ac de illo Senatusconsulto, Pomponio & Rufo Coss. condito, quædam in *§. 7. d. cap.* diximus. Quid vero eo cautum fuerit Tacitus omisit, at hic ex Ulpiano docemur.

Ca-

Cavetur ut Mathematicis, Chaldaeis, Ariolis & ceteris qui similem incertum fecerunt aqua & igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur, & sic aeternus gentium, qui si id fecerit ut in eum animadvertatur. Ariolos definit Isidor. *Origin. Lib. 8. cap. 9. Arioli ita vocati, quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, iisque celebritatibus Daemonum responsa accipiunt*, elegantius Tertullian. *Apolog. cap. 23. qui Aris inhalantes numen de nidore concipiunt.* Quam mutilus sit hic locus non opus est monere, varie de eo laborarunt viri docti. Pithoeus conjicit pro *similem incertum*, *similem artem*, Jac. Gothofr. *ad L. 7. Cod. Theod. de Pagan.* (*in notis*) legit *incertorum artem*, vel *incerti quaestum*. Lipsius *ad Tacit. Ann. Lib. 2. cap. 32. excur.* G reponit *similem quaestum.* Omnes tamen hae conjecturae magis videntur exhibere quid Ulpianus voluerit quam quid scriptum fuerit, multum enim a vulgata lectione abeunt, magis huic accedit lectio Forsteri *Observat. Succisiv. Lib. 1. cap. 18.* (*in Thes. Jur. Tom. 2.*) Legit *similem incestum*, idque confirmat ex Virg. *Aen. Lib. 6. v. 149.* ubi de Miseno submerso ac insepulto relicto,

Praeterea jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem.

ibique Servius *Incestat. Polluit, & incestus est quaecunque pollutio*, sic & Horat *Lib. 3. od. 3. v. 19.* dixit *Incestus judex* pro judice scelerato ac corrupto. Quomodo tamen ab Ulpiano scriptum fuerit pro certo affirmari non potest.

Non minus medica manu egent sequentia. *Et sic aeternus gentium qui si id fecerit ut in eum animadvertatur*, ex quibus sic conceptis, vel ipse Oedipus se extricare non posset, Cel Schulting. *ad h. l.* putat plura intercidisse, quod forte verum est, putarem tamen posse & aliter rem salvam esse, locumque valde corruptum non magno negotio restitui, si nempe adhibita correctione Schultingiana pro *aeternus*, *externarum*, legatur *Et si externarum gentium quis id fecerit, ut in eum animadvertatur*, tum sensus erit planus, ac ut mihi videtur omnia bene cohaerebunt. Nempe cavetur ut Mathematicis, Chal-

Chaldaeis, & ceteris qui ſimilem *inceſtum* fecerint, aqua & igni interdicatur, at cum haec ſit poena propria Romanorum, nec ad peregrinos extendi poſſit, ulterius cautum eſt ut *ſi quis externarum gentium* id fecerit, in eum animadvertatur, id eſt ut is capite puniatur, ceu probat Cel. Schult. *ad Paul. Sent. Lib.* 1. *Tit. ult.* §. *ult.* Forte ſcriptum fuerat *ſi extern. gent.* unde facile effici potuit *aetern. gent.* ac quam facillime ex *quis id* factum eſt *qui ſi id.* Sic mihi videtur de loco non admodum facili, judicium eruditioribus relinquo.

Ex iſtis videmus etiam adverſus Mathematicos alioſque ſimiles adhibitam fuiſſe poenam Legis Corneliae, ſed Peregrini ſeverius puniuntur: quod Romanis uſitatum docte ſuo more probat Illuſtr. Spanhem. *Orb. Rom. Excer.* 2. *cap.* 24.

Quaerit jam Ulpianus an tantum hujus artis profeſſio, an etiam notitia puniatur. Apud veteres profeſſionem modo prohibitam fuiſſe, nos docet, *Poſtea* tamen *variatum nam diſſimulandum eſt nonnunquam inrepſiſſe in uſum ut etiam profiterentur & publice reprehenderent.* Senſus hic omnino exigit ut legatur vel *diſſimulandum non eſt* vel *nec diſſimulandum eſt*, & pro *reprehenderent* cum ſummis Viris Pithoeo & Schultingio legendum *reſponderent*, verbum Mathematicis proprium ut notat hic laudatus Schulting. *Quod quidem magis per contumaciam eorum factum eſt qui viſi erant vel exercere vel conſulere quam qui fuerant permiſſum.* Pithoeus recte pro *viſi erant* reponit *auſi erant*, niſi quis malit *viſi* retinere idque cum Salmaſio *ad Capitol. in vit. Ver. cap.* 9. accipere pro qui *conſulebant* aut *excercebant.* Iterumque cum Salmaſ. ad *Lamprid. Alexand. Sever. cap.* 27. *quam qui fuerit permiſſum*, aut quod mallem *quam quia fuerat permiſſum*, quomodo ut quis legat per ſe licere teſtatur Cel. Schulting. Hae veterum variationes, de quibus hic Ulpianus, a nobis ſupra pro viribus ſunt expoſitae. Quid circa hanc rem ſuo tempore obtinuerit non docet Juriſconſultus, at ex ipſius aequali, Paulo *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 21. § *ult.* colligere poſſumus, ſcientiam a profeſſione ſeparatam, non omnino fuiſſe prohibitam. *Non tantum*, inquit, *Divinatione quis ſed ipſa ſcientia melius fecerit abſtinere*, quibus verbis potius videtur

conſi-

consilium dare quam jus tradere. Sed hoc unice ad Mathematicos pertinet, Magi enim multò durius tractantur. Eorum scientia adeo prohibita est, ut nequidem ejus libros habere liceat. Paul. *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 23. §. 18. *Libros Magicae artis apud se habere neminem licet, & si penes quoscunque reperti sint, bonis ademptis ambustisque his publice, in Insulam deportantur, humiliores capite puniuntur. Non tantum hujus artis professio sed etiam scientia prohibita est.* Idem de libris testatur in *L.* 4. §. 1. *D. fam. ercisc. Mala medicamenta & venena, veniunt quidem in judicium, sed judex omnino interponere se in his non debet. Boni enim & innocentis officio eum fungi oportet. Tantundem debebit facere in libris improbatae lectionis, Magicis forte vel his similibus, haec enim omnia protinus corrumpenda sunt.*

Videmus hic libros improbatae lectionis aeque ac mala venena esse corrumpendos, (non enim necesse est ut pro corrumpenda legatur comburenda Vid. Cel. Schulting. *ad Paul. l.c.*) Libri autem improbatae lectionis dicuntur esse, Magici aut *his similes* quod Cel. Noodt *in comment. ad Tit. D. fam. ercisc. p.* 240. explicat de libris Christianae Religionis, idque colligit ex Lactant. *Instit. Divin. Lib.* 5. *cap.* 11. & Prudent. *Peristeph. Hymn.* 2. *vs.* 181. *& seqq.* Quando primum poena ignis in libros sit introducta, loco eleganti nos docet M Annaeus Seneca *Controv. Lib.* 5. *in Prooem.* ubi agit de Tito Labieno celeberrimo oratore qui sub Augusto floruit. *In hunc primum* inquit Seneca, *excogitata est nova poena, effectum est enim per inimicos ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova & insueta, supplicia de studiis sumi* & paulo post, *Facem studiis subdere & in monumenta disciplinarum animadvertere, quanta & quam non contenta certa materia, saevitia est. Dii melius quod eo seculo ista ingeniorum supplicia coeperunt, quo & ingenia desierunt.* Vere ac magno rei litterariae bono haec philosophatus est Seneca, quod autem notabile est, *ejus qui hanc in scripta labieni Sententiam dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta sunt, jam non malo exemplo quia suo.* haec Seneca l. c. ubi plura de illo Labieno, quibus adde Vossium *de Hist. Latin. Lib.* 1. *cap.* 23. Sed haec in transitu revertamur ad Ulpianum.

Saepissime denique interdictum est fere ab omnibus Principibus ne quis hujusmodi ineptiis se immisceret. Ineptias has artes vocat Ulpianus, ex sententia nimirum sapientissimorum fere omnium inter veteres, qui quotiescunque de rebus istis serio agunt eas inter inania ac ridicula rejiciunt. Neque tantum de Chaldaeis sed etiam de Auguribus aliisque religionis ministris sic sentiebant, adeo ut Cato non vereretur dicere se mirari quod non rideret haruspex haruspicem cum vidisset, teste Cicerone *in Libro 2. de Divinatione.* Longa ac operosa oratione refutatur haec ars Mathematica apud Gell. *Noct. Attic. Lib.* 14. *cap.* 1. Non minus solide, ac mea sententia multo elegantius, has partes etiam sustinuit Philosophorum eloquentissimus M. Tullius, per totum fere librum secundum de Divinatione. Non omnes tamen qui hisce operam impendunt, iisdem poenis afficiuntur sed *pro mensura scilicet & consultationis*, pro quibus verbis legendum cum Gothof. *ad L. 6. Cod. Theod. de Malef. & Math. pro mensura scilicet consultationis* deleta particula *&*, aut cum Pithoeo *ad h. l.* & Lipf. *ad Tacit. Ann. Lib.* 2. *cap.* 32. *exc.* G. *pro mensura sceleris & consultationis* errore orto ex siglis *sc.* vel *scel.*

Nam qui de Principis salute capite puniuntur. Idem & Paulus *Sent Lib.* 5. *Tit.* 21. §. 3. testatur. *Qui de salute Principis, vel de summa Reipublicae* (aut cum Giphanis *de summa Republica*) *Mathematicos, aruspices, vaticinatores consulit cum eo qui responderit capite punitur.* De salute Principum aut rebus ad eos pertinentibus, ac de fortuna Reipublicae consulere semper fuit crimen capitale. Sic sub Tiberio, Lepida nobilissima matrona plurimorum criminum rea, etiam accusabatur per Chaldaeos in Domum Caesaris quaesivisse, fuitque aqua & igni interdicta Tacit. *Ann. Lib.* 3. *cap.* 22. ut omittam mortem Libonis Drusi de qua jam supra. Sub. Claudio, Agrippina Lolliae *molitur crimina & accusatorem qui objiceret Chaldaeos, Magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis Imperatoris:* fuitque ad mortem adacta. Tacit. *Ann Lib.* 12. *cap.* 52. Cum Nero virtutem ipsam exscindere vellet morte Bareae Sorani & Thraseae Peti, Sorano objectum fuit filiam

liam ſuam Magos de Caeſare conſuluiſſe, Tacit. *Ann. Lib.* 16. *cap.* 30. quid multa? id ſemper ita ſe habuiſſe facile patet, ac per totam ſeriem Imperatorum exequi longum foret, Severum ipſum qui poſtea imperium adeptus eſt de hoc crimine reum factum fuiſſe jam vidimus. Hujus prohibitionis rationem elegantem nec injuſtam refert Tertullian. *Apolog. cap.* 35. *in fin. Cui autem opus eſt perſcrutari ſuper Caeſaris ſalute, niſi a quo aliquid adverſus illam cogitatur vel optatur, aut poſt illam ſperatur & ſuſtinetur*, ad quem locum vid. Deſid. Herald. qui & notabilem locum Julii Firmici adducit. Proxime ad conſultationem de ſalute Principis, accedit conſultatio ſervi de ſalute Domini, idque ex eadem ratione uti obſervavit Cel. Schulting. *ad Paul. Sent. Lib.* 5. *Tit.* 21. §. *ult.* ubi ſic Paulus: *Servi autem ſi de ſalute Dominorum conſuluerint ſummo ſupplicio id eſt Cruce adficiuntur; Conſulti autem ſi reſponſa dederint aut in metallum damnantur, aut in Inſulam deportantur.* Rationem nobis praebebit Tertullianus, verbis ea quae jam attulimus proxime ſequentibus, *Non enim ea mente de Charis conſulitur qua de Dominis. Aliter curioſa eſt ſollicitudo ſanguinis, aliter ſervitutis.* Servi autem conſulentes, cum nulla inter eos ſit ſtatus differentia, indiſtincte cruce afficiuntur, quod vulgare ſervorum ſupplicium eſſe neminem fugit, at in conſultoribus videtur iterum Juriſconſultus, diſtinctionem inter humiliores & honeſtiores admittere, ut illi nempe in metallum damnentur, hi vero in Inſulam deportentur.

Pergit Ulpianus *Enimvero ſiquidem ſuaſorumque levius, inter hos habentur quam Vaticinatores, hi quoque plectendi ſunt quoniam nonnunquam contra publicam quietem imperiumque Populi Romani improbandas artes exercent*, hic iterum agnoſcimus ſacrilegas librariorum manus, priora enim verba omni carere ſenſu perſpicuum eſt, at ea feliciſſime reſtituit Vir Praeclarus Jacob. Gothof *ad L.* 6. *Cod. Theod. de Malef. & Mathem.* hunc in modum *enimvero ſi qui de ſua ſuorumque levius*, Ulpianus ſcilicet mox dixerat eos qui de ſalute Principis conſulunt capite puniri, jam addit *ſi qui de ſua ſuorumque* ſalute conſuluerit *levius* punitur, nempe deportatione aut alio

 mo-

modo. Haec egregie Gothofredus; ſequentia vero intacta reliquit. Celeb. Schulting. putat ea ſic poſſe conſtitui, *inter hos habentur etiam Vaticinatores, hi quoque plectendi ſunt* niſi tamen ut ait, plura interciderint, quod facile crederem.

De Vaticinatoribus etiam egit Paulus *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 21. §. 1. ecce ejus verba: *Vaticinatores qui ſe Deoplenos adſimulant, idcirco ex civitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad ſpem alicujus rei corrumperentur, vel certe ex eo populares animi turbarentur. Ideoque primum fuſtibus caeſi civitate pelluntur: perſeverantes autem in vincula publica conjiciuntur, aut in Inſulam deportantur.* Summo jure tales homines poena adficiuntur, cum nihil ſit quo facilius vulgus moveatur, quam vaticiniis aliisque rebus quibus Religio immixta videtur. Innumeris hujusmodi caſibus ſcatet omnis aevi hiſtoria, nec talia facile omittunt qui novas res moliuntur, exemplis ab aliis prolatis addi poteſt quod referunt Cic. *in Catilin. orat.* 3. *cap.* 4. & Salluſt. *in Bell. Catilin. cap.* 47. de Lentulo qui praedicabat ex *Libris Sybillinis regnum Romae tribus Corneliis portendi, Cinnam atque Sullam antea, ſe tertium cui fatum Urbis potiri* erat enim ex gente Cornelia ut teſtatur Salluſt. *ibid. cap.* 55. Non aliam rationem de Vaticinatoribus plectendis affert Ulpianus quam Paulus *quoniam* inquit *nonnunquam contra publicam quietem imperiumque Populi Romani improbandas artes exercent.* Plura forte ad haec illuſtranda afferri poſſent ſi reſcriptum *Divi Pii ad Pacatum Legatum Provinciae Lugdunenſis* cujus verba hic erant relata, nobis fata non eripuiſſent.

Denique & Divus Marcus, eum qui motu Caſſiano vaticinatus erat & multa quaſi extinctu Deorum dixerat, in Inſulam Syrum relegavit. Hic pro extinctu legendum eſſe *ex Inſtinctu* monet Cel. Schulting. Avidius Caſſius nobiliſſima familia natus, homo potens, ac eleganti ingenio, Marco Antonino adverſus Marcomannos proficiſcente, Imperium occupare tentavit, ſed victus ac occiſus fuit. Motum illum fuſe narrant Vulcatius Gallicanus *in Vita Avidii Caſſii (inter Hiſtoriae Auguſtae Script. Tom.* 1.) ac Julius Capitolinus *in vita M. Anton. cap.* 24. verum (miremur negligentiam Hiſtori-

co-

corum?) neuter de hoc Vaticinio ne verbum quidem muſſitarunt, procul dubio tamen ſatis notabile fuit ut ejus mentio fieret, videtur enim ex eo motus ille, nomen *furoris Caſſiani* quod ipſi tribuit Paulus in fugitiva *l.* 7. *C. ad L. Jul. Majeſt.* traxiſſe, quod conjicit A. Bynkersh. *Obſ. Lib.* 6. *cap.* 5. Hunc Vaticinatorem Marcus pro ſua clementia ſola relegatione punivit. Modeſtinus autem in *L.* 30. *D. de Poen.* memorat reſcriptum D. Marci, in hanc rem apprime notandum. *Si quis aliquid fecerit* (inquit Juriſc.) *quo leves hominum animi, ſuperſtitione numinis terrerentur, Divus Marcus hujusmodi homines in Inſulam relegari juſſit.* A. Bynkershoek loco modo laudato egregie oſtendit id non eſſe intelligendum de illis qui religionem ſuam aliis modeſte ut decet inculcare conantur, ſed omnino de illis Impoſtoribus de quibus nobis nunc eſt ſermo, quique ſub praetextu religionis vulgus ad ſeditiones excitant. At ſi conjecturis indulgere liceret, facile crederem reſcriptum cujus meminit Ulpianus, diverſum non eſſe ab eo quod refert Modeſtinus, Divumque Marcum cum conſuleretur de Vaticinatore Caſſiano, reſcripſiſſe illum eſſe relegandum in inſulam Syrum, pariterque ſe jubere omnes qui hominum animos ſuperſtitione numinis territant, relegari. *Et ſane* (ut cum verbis Ulpiani caput hocce finiam) *non debent impune ferre hujusmodi homines qui ſub obtentu, & monitu Deorum quaedam, vel renunciant, vel jactant, vel ſcientes eos fingunt,* ſeu potius *ſcientes confingunt* cum id non improbet Cel. Schulting. *ad h. l.*

Haec de Pauli & Ulpiani fragmentis, jam videamus quid de Magis ac Mathematicis conſtituere Principes quorum reſcripta in Codicibus Theodoſii & Juſtiniani extant.

CAPUT QUARTUM.

De Legibus quæ extant in Codice Theodosiano, & Justinianeo.

§. I.

IN Codice Theodosiano, (*Libro* IX *Tit.* 16.) extat Titulus de *Maleficis*, *Mathematicis*, & *cæteris similibus*, similem Titulum in Codice suo retulit Justinianus, (in Libro IX. Tit. 18.) ibique multas leges ex Theodosiano exscripsit, at cum quibusdam diversitatibus, ut ubique observare licebit, quasdam in unum conflavit, alias prætermisit, cum tantum viderentur esse Temporariæ. Singula duce ac Auspice summo Gothofredo latius pertractabimus, hicque ut in præcedentibus ordinem Historicum quantum fieri poterit, sequemur. In inscriptione memorantur *Malefici*; generaliter omnes Magi ita vocantur, in specie tamen videntur esse, qui artem Magicam ad summum fastigium perduxerunt, Necromantici videlicet, qui animas ex inferis eliciunt, quosque *Maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat* ut est in *L.* 5. & 7. *C. h. t.* De Mathematicis jam satis dictum, sub caeteris similibus vero comprehenduntur omnes qui arte quacunque futura indagare conantur veluti Augures, Vaticinatores &c.

§. II. Prima lex quae nobis occurrit est (1) *L* 2. *C. h. t.* (de *L.* 1. enim jam egimus in *cap.* 2. §. 15.) Haec sunt verba *Dioclet. & Maxim. AA. & CC. Tiberio. Artem Geometriae discere atque exercere publice interest. Ars autem Mathematica damnabilis est & interdicta omnino. S.* 15. *cal. sept. Sirmii CC. Coss.* Me-

(1) Haec Lex a Cod. Theod. abest.

Merito hic Geometria separatur ab arte illa Divinatoria quae sub nomine Matheseos vulgo circumfertur. Id jam tempore Ulpiani obtinuisse, Geometrasque honesto loco positos fuisse patet ex *L.* 1. *pr. D. de Extraord. Cognit.* ubi Geometria inter studia liberalia, de quorum mercede Praesides Provinciae jus dicere solent, connumeratur. An autem integrum in h. l. habeamus rescriptum, dubitari potest, nec de casu ad quem responsum est, nec de tempore quo editum est, quid statui potest.

§. III. Constantinus Magnus debellato Tyranno Maxentio, regno potitus, fidem Christianam amplexus est anno aerae nostrae vulgaris 312. Exinde omnem operam contulit ad evertendam religionem Paganam, & Christianam fulciendam. Hoc animo duas edidit constitutiones alteram ad Maximum Praefectum Praetorio, alteram ad Populum; extant in *L.* 1. *&* 2. *Cod. Theod. h. t.* Justinianus eas in unam conflavit & in Codice suo retulit in *L.* 3. *eod.* cujus haec sunt verba. *Imp. Constantin. A. ad Maxim. Nullus aruspex,* (1) [*nullus sacerdos, nullus eorum qui huic ritui adsolent ministrare ad*] *limen alterius accedat nec ob alteram causam, sed hujusmodi hominis* (2) *amicitia quamvis vetus repellatur: concremando illo aruspice qui ad domum alienam accesserit, & illo in Insulam* (3) *deportando post ademptionem bonorum, qui eum advocaverit suasionibus vel praemiis* (4). *Accusatorem autem hujusmodi criminis non delatorem, sed dignum magis praemio arbitramur. P. P. Calend. Feb. Romae Constantin. A.* 5. *& Licinio Coss* 312. Magnum illud evertendi Paganismi opus, non facile peragi poterat, nisi satis longo tempore, ac avitam religionem potius in desuetudinem trahendo, quam simul semelque extirpando. Nihil ergo magis expedire credidit Constantinus, quam aruspicum, aliorumque sacrorum ministrorum autoritatem minuere. In hunc finem *h. l.* prohibet ne apud quem-

(1) Haec sunt ex L. 2. Cod. Theod. (2) L. 1. Cod. Theod. habet *quamvis vetus amicitia.* (3) L. 1. Cod. Theod. *detrudendo.* (4) L. 1. Cod. Theod addit *superstitioni enim suae servire cupientes, poterunt publice ritum proprium excercere.*

quemlibet admitterentur sive Divinandi, sive veteris amicitiae, sive quacunque alia de causa, ne forte sub praetextu veteris consuetudinis animos a proposito suo averterent, & ad propria commoda converterent, bene gnarus quid possit Religionis ministrorum in Plebem autoritas. Gravissimas poenas propositas videmus adversus illos qui contra hanc legem fecerint, ignem in aruspicem, & deportationem amissis bonis in eum qui vocaverit. Ratus est Imperator, nec immerito, severissime arcendam temeritatem eorum, qui facile omnia tentant, ad imminutam suam Majestatem iterum in pristinum fulgorem restituendam. Accusatoribus vero hujus criminis infame *Delatorum* nomen tribui vetat.

Haec ex duabus constitutionibus, Imperatoris Constantini nobis servavit Justinianus, at in Cod. Theod. ulterius quid additur. Nempe Imperator iisdem illis legibus quibus aruspicinam privatim excercere prohibuit, publice id permisit, ne violenta nimis ac subita sacrorum mutatio, animos perturbaret. De eo in *d. l.* 1. *Cod. Theod.* sic monet Praefectum Praetorio: *Superstitioni suae servire cupientes poterunt publice ritum proprium excercere :* & in *l.* 2. *eod.* populum sic alloquitur, *Qui vero id vobis* (1) *extimatis conducere adite aras publicas atque delubra, & consuetudinis vestrae celebrate solemnia, nec enim prohibemus praeteritae usurpationis officia libera luce tractari.* Haec omnia exscribere omisit Justinianus, quippe suo tempore nullum amplius usum habere poterant, Sacris Paganorum jam ubique abolitis, & Christiana persuasione passim recepta. Sunt tamen observatione digna, luculenter enim mentem Constantini declarant. Satis hisce legibus fecisse sibi visus est, modo consuetudines cum aruspicibus caeterisque divinatoribus, eorumque secretas consultationes, abrumperet, majora ad opportuniora tempora reservaturus. Nec ipsi similis prohibitionis exempla defuere, sic enim Tiberius ipsos *aruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit* Suet. *in ejus vit. cap.* 63. Ita etiam in Senatusconsulto de Bacchanalibus, constitutum, ne quis Bacchanal

(1) Pro *existimatis* quomodo etiam forte scriptum fuit.

chanal haberet, nisi consulto prius Praetore Urbano ac Senatu, cum non minus quam centum adessent Senatores. Vid. Liv. *Lib.* 39. *cap.* 41. Hujus legis autem subscriptio in *Cod. Justin.* proculdubio vitiosa est, exhibet enim annum 312. quo demum victo Maxentio, Constantinus religionem Christianam est amplexus, nec videtur prorsus eodem illo anno adeo duras leges promulgasse; rectius ergo se habere videtur subscriptio *L.* 1. *&* 2. *Cod. Theod. h. t.* annum 319. exhibens, septimum post interitum Maxentii, quod multo probabilius. Vid. Gothof. *ad dd. LL.* 1. *&* 2. Caeterum Gothof. *ad d. L.* 2. putat ibi *arbitrariam poenam in aruspicem & consultorem a Constantino mutato consilio constitui*, propter haec legis verba, *prohibemus --- poena contra eos proposita si contempserint legem*, quibus verbis poena non exprimitur. Putarem potius haec debere referri, ad ea quae ante aliquot menses Maximo scripserat in *L.* 1. *eod.* in qua poenam ignis expressam vidimus, ita ut hic etiam eandem poenam intelligat Constantinus, & video ipsum Gothofredum in notis legibus subjectis, ad *d. l.* 2. in vocem *poena* sic notare *Ignis L.* 1. *supr.* quod non videtur prae oculis habuisse cum commentarium scriberet.

Eodem plane animo quo has constitutiones promulgaverat Constantinus, biennio post anno 321. edidit & alteram eidem Maximo inscriptam, in *L.* 1. *Cod. Theod. de Pagan. & Sacrif.* qua permisit aruspicibus ut si quid *de Palatio aut caeteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit*, possint suo more inquirere quid portendat, modo tamen eorum responsa ad Imperatoris scientiam perferantur, & a Sacrificiis privatis quae *specialiter prohibita sunt* (nempe *L.* 1. *&* 2. *h. t.*) abstineant. Id autem unice egisse Constantinum, ne ex istis portentis quid mali adversus ipsius imperium aut consilia quis moliretur, luculenter ostendit Gothof. ad *d. L.* 1. *Cod. Theod. de Pagan.* ibique solide Zozimi ac Baronii in Constantinum obtrectationes refutat. Caeteras ejus circa res Sacras constitutiones nostrum non est inquirere, ad eas potius quae ad Maleficos aliosque similes pertinent redeamus.

§. IV. Anno 321. de iis edidit Constitutionem idem Con-

 stanti-

ſtantinus, in *L.* 3. *Cod. Theod.* ſive *L.* 4. *Cod. Juſtin. h. t.* en verba prout exhibentur in Cod. Juſt. *Imp. Conſtantinus ad Baſſum P. U. Eorum eſt ſcientia punienda & ſeveriſſimis merito legibus vindicanda, qui Magicis accincti artibus, aut contra ſalutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe* (1) *detegentur. Nullis vero criminalibus* (2) *implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis* (3) *grandiniſque lapidatione quaterentur: quibus non cujusquam ſalus aut æſtimatio læderetur, ſed quorum proficerent actus ne divina munera & labores hominum ſternerentur. Dat.* 10. *Cal. Junii Aquileiæ Criſpo & Conſtantio Cæſ. Coſſ.* 321. Pro certo olim habitum fuiſſe vi carminum *pudicos animos ad libidinem deflecti* ſupra vidimus. Eadem ipſis poteſtas in vitas hominum tribuebatur, de quo luculentum extat teſtimonium apud Tacit. *Ann. Lib.* 2. *cap.* 69. ubi de morte Germanici, *Reperiebantur ſolo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres ac tabe obliti, aliaque maleficia queis creditur animas numinibus infernis ſacrari.* Non vero ſemper ad perniciem hæc ſacra tendebant, morbi etiam ſæpè carminibus ſanabantur, teſtis ſit Tibullus loco eleganti in *Lib.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 9. *& ſeqq.* ubi iram Dominæ flectere conatus, bene merita in eam a ſe collata ſic refert.

Ille ego cum triſti morbo defeſſa jaceres,
Te dicor votis eripuiſſe meis.
Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure puro,
Carmine cum Magico præcinuiſſet anus.
Ipſe procuravi ne poſſent ſæva nocere
Somnia, ter ſancta deveneranda mola.
Ipſe ego velatus lino, tuniciſque ſolutis,
Vota novem triviæ nocte ſilente dedi.

&

(1) L. 3. Cod. Theod. h. t. *defixiſſe.* (2) L. 3. Cod. Theod. *Criminationibus.* (3) L. 3 Cod. Theod. *ruentis grandinis lapid.*

& reliqua, quæ vide si versibus tenerrimo amore suspiratis delectari vacat, inque hæc omnia confer notas viri ipsis Musis deamati Jan. Broekhusii, qui ea ut solet eleganter illustravit. Quidam etiam Charactera aut similia gestiebant, quibus putabant morbos sanari, Am. Marcell. *Lib.* 19. *p. m.* 152. *Si qui remedia quartanæ, vel doloris alterius, collo gestaret &c.* Idem & circa fructus obtineri credebat vulgus, putabant nempe nubes posse repelli, certisque artibus licere cum grandine pacisci ut loquitur Seneca *Quæst. Nat. Lib.* 4. *cap.* 6. §. 7. ubi hæc refutat, cui adde Plin. *Hist. Nat. Lib.* 30. *cap.* 2.

Constantinus sive ipse cum Plebe senserit, sive, ut putat Gothof. *ad h. l.* non ausus fuerit superstitionem quæ tantas radices egerat fortius oppugnare, hic tantum prohibet usum carminum ad perniciem alicujus adhibitum, idque vere ac ex ratione juris; non enim interest quomodo quis occisus fuerit, nec etiam an occisus fuerit, modo animus adfuerit occidendi, *L.* 1. *D. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Pœnam in *h. l.* non expressit Imperator, videtur tamen intellexisse supplicium capitale, sive id sit crux, aut crematio, aut decollatio, ad quæ summa supplicia refert Paul. *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 17. §. 3. *Nullis vero* (inquit Imperator) *criminalibus*, sive ut rectius habetur in *L.* 3. *Cod. Theod. criminationibus implicanda sunt remedia* quæsita hominibus aut fructibus. Hæc sua autoritate firmavit Justinianus, hanc legem in Codice suo referens; at eam admodum verbose sustulit Imperator Leo, omnesque incantatores, sive bono sive malo animo agant, supremum supplicium sustinere jussit Vid. Leon. *Const.* 65.

§. V. Constantius filius Constantini, odio singulari Magos prosecutus est, ut patet ex acerbis legibus quas in eos edidit Hujus severitatis rationem, facile est reperire in illis quae de Constantii vitiis refert Am. Marcel. *Lib.* 21. *p. m.* 201. *Cum esset in negotiis aliis principibus mediis comparandus, si affectatae dominationis ansam quandam falsam reperisset aut levem, hanc sine fine scrutando, fasque eodem loco ducens & nefas, Caligulae & Domitiani & Commodi immanitatem facile superabat: quorum aemulatus saevitiam inter imperandi exordia cunctos san-*

guine & genere se contingentes, stirpitus interemit. Addebatur miserorum aerumnis, qui rei Majestatis imminutae vel laesae deferebantur, acerbitas ejus & iracundae suspiciones in hujusmodi cuncta distentae. Et si quid tale increpuisset, in quaestiones acrius insurgens quam civiliter; spectatores apponebat his litibus truces, mortemque longius in puniendis quibusdam si natura permitteret, conabatur extendi. Hisce addantur & haec verba ejusdem Marcell. *Lib.* 14. *pag.* 9. *ubi* & de Constantio, *Utque aegrum corpus quassari etiam levibus solet offensis, ita animus ejus angustus & tener, quidquid increpuisset, ad salutis suae dispendium existimans factum aut cogitatum, insontium caedibus fecit victoriam luctuosam.* Haec de Constantii indole refert Ammianus, quae etsi longiora aliquanto, tamen cum ad propositum non inutilia videbantur integra exscribere non dubitavi. Hisce perspectis mirum non erit Constantium admodum in Magicae aut Mathematicae artis peritos saevisse, jam enim saepe vidimus, id genus hominum maxime suspectum esse, contra Rempublicam aut Imperatorem res novas moliri, & passim observare licet quo magis Principes sibi a populo metuebant eo magis etiam in eum saevisse.

Adversus omnia Paganorum sacrificia, legem promulgaverat Constantius, quae extat in *L.* 4. *Cod. Theod. de Pagan. & Sacr.* non addito anno, at in *L.* 1. *C. eod.* in qua eadem reperiuntur verba, additur annus 342, tribuiturque Constantino in Inscriptione, quae omnia procul dubio vitiosa sunt ut Observavit Gothof. *in not. ad d. l.* Constantinus enim anno 342. jam erat vita functus: debet omnino haec lex referri ad annum 353 aut 354. data est quippe ad Taurum Praefectum Praetorio, qui hanc dignitatem eo demum anno obtinuit vid. *Notit. Dignit. Cod. Theod.*

Quidquid sit, anno 357 legem patris adversus aruspices caeterosque similes renovavit & extendit Constantius in *L.* 4. *Cod. Theod. h. t.* quam Justinianus in *L.* 5. *C. eod.* retulit. *Imp. Constantius A. & Julianus C. ad Populum: Nemo Aruspicem consulat aut Mathematicum, nemo Ariolum. Augurum prava confessio conticescat. Chaldaei ac Magi & caeteri quos Malefi-*

cos

eos vulgus appellat nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur, gladio ultore prostratus, (1) *quicunque jussis nostris obsequium denegaverit. Dat.* 8. *Cal. Febr. Mediolani Constantio A.* 9. *& Juliano Coss.* 357. Constantinus tantum prohibuerat consultationes privatas, publicas permiserat, at filius hac lege omnes omnino vetat, idque sub poena capitali: caeterum haud multa ad h. L. notanda sunt. Putabat olim Gothofredus pro *confessio* legendum *professio*, sed postea sententia mutata *confessio* retinere maluit. Recte idem observat verbum *consulere* proprium esse in hanc rem; sic Sueton. in August. *cap.* 94. de Agrippa *qui prior consulebat*, & in *L.* 15. §. 13. *D. de Injur. Si quis Astrologus consultus &c.* iterum verbum *curiositas* etiam ad hanc materiam aptatum esse Horat. *Epod. od.* 17. *v.* 77. *ut ipse nosti curiosus*, Catull. *epig.* 7. *in fin.*

Quae nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

§. VI. Eodem anno Constantius edidit & alteram constitutionem, qua perstrinxit summum artis Magicae fastigium, extat in *L.* 5. *Cod. Theod. h. t.* & in *L.* 6. *C. eod.* cujus haec sunt verba: *Imp. Constantius A. & Julianus C. ad Populum: Multi Magicis artibus usi,* (2) *elementa turbare, vitam* (3) *insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos, hos quoniam naturae peregrini sunt, feralis pestis absumat. Dat. Prid. Non. Decemb. Mediolani Constantio A.* 9. *& Juliano Coss.* 357. Si coacervanda essent testimonia quae apud Poëtas extant, de Potentia Magorum in elementa, crassius satis exiret liber; si quis velit selectiora in hanc rem inspicere, videat modo quae allegavit Cl. Broekhus. *ad Tibul. Lib.* 1. *eleg.* 2. *v.* 43. in haec verba.

Hanc

(1) L. 4 Cod. Theod. habet *Etenim supplicium capitis feret gladio ultore prostratus &c.* quod eodem redit. (2) L. 5. Cod. Theod. habet *ausi.* (3) L. 5. Cod. Theod. *vitas.*

Hanc ego de coelo ducentem Sydera vidi,
Fulminis haec rapidi carmine ſiſtit iter.

Videbitque putaſſe veteres, Magis nihil eſſe impoſſibile, omnibusque convenire quod de ſaga quadam praedicat Apulej. *Metam. Lib.* I. *p. m.* 105. *potens caelum deponere, terram ſuſpendere, montes diluere, manes ſublimare, Deos infimare, Sydera extinguere, Tartarum ipſum illuminare.* Non minorem poteſtatem habere credebantur in manes, ut quotiescunque liberet eos ex ſepulchris evocare, & futura praedicere cogere poſſent; id autem plerumque fiebat diris ſacris, homines vel pueros immolando, vid. iterum quae habet Broekh. *ad illa Tibulli l. c. v.* 45.

Haec cantu finditque ſolum maneſque ſepulchris
Elicit, & tepido devocat oſſa rogo.

Haec omnia ergo a Conſtantio hic prohibentur. In Cod. Theod. legitur *auſi* pro *uſi* & Gothofredus ibi putat uno ſpiritu legendum *multi magicis artibus auſi elementa turbare*, & deinde *vitam inſontium* &c; ita ut elementorum turbatio memoretur ab Imperatore tanquam medium neceſſarium ad vitam inſontium labefactandam. Non tamen ſemper videtur neceſſarium fuiſſe elementa turbare ut aliquis perimeretur, potuitque facile Conſtantius illos qui elementa turbant inter naturae peregrinos numerare. Quidquid ſit, hac lege damnantur qui Magicis artibus conantur inimicos ſuos interficere, hisque adduntur qui *manibus accitis audent ventilare.* De verbo illo *ventilare* late ac erudite agit Gothofred. *ad h. l.* idque refert ad Magicas caerimonias, ſuſurrosque quibus utebantur ad animas ex inferis eliciendas. At putarem potius hic argui illos qui manibus evocatis, poſtea variis incantationibus vexant, coguntque ut diutius Dias luminis oras adſpiciant, ita ut ſenſus ſit *manibus accitis ipſos audent ventilare*, eodem plane ſenſu ac Tibullus ſalutarem Broekhuſii manum expertus loco mox laudato *v.* 47.

Jam tenet infernas Magico ſtridore catervas.

Quod recte interpretatur, infernas catervas longius ex orco detinet. Verum haec ſunt levia. Magis inter eruditos ambigitur quaenam poena hac lege ſit propoſita, hos inquit Imp.

quo-

quoniam naturae peregrini sunt feralis pestis absumat. Raevardus *Varior. Lib.* 5. *cap.* 3. per *feralem pestem* intelligit *vivicomburium.* Gothofredus vero ad hanc Legem, cum Scholiastis Basilicorum id interpretatur de poena Bestiarum, ita ut per feralem pestem intelligatur supplicium *quasi in quo ferae adhiberentur.* Et *omnino* inquit *suffragatur, legis ratio, hos quoniam naturae peregrini sunt feralis pestis absumat, scilicet naturae peregrini ferali jam non humano supplicio adficiendi.* Hisce rationibus addit & aliam, quod poena Bestiarum tunc temporis in aliis criminibus veluti Plagio sit usurpata. At (quod tamen pace tua Magne Gothofrede dixerim) verior mihi videtur sententia Raevardi, vox *Pestis* enim, ut notum est, accipitur pro totali excidio, quod melius videtur convenire supplicio ignis quam bestiarum, *Feralis* autem saepe dicitur de eo quod Diis manibus aut igni sacrum est. Verum quod multo gravius puto, inter summa supplicia sub Imperatoribus usitata, poena ignis fuit omnibus aliis atrocior habita, ceu id ostendit Cel Schulting. *ad Paul: Sent. Lib.* 5. *T.* 17. §. 3. *not.* 6. hanc poenam autem jam ante Constantii tempora, Magis (in specie illis de quibus hic agitur,) irrogatam fuisse, colligi potest, non tantum ex loco Luciani a Cel. Schultingio laudato *ad Paul Sent. Lib.* 5. *Tit.* 23. §. 17. sed etiam ex ipsissimis ibi Pauli verbis ut supra (cap. 3. §. 3.) observavimus. Hisce positis non video quare Constantius, qui id genus hominum singulari odio prosecutus est ut ipse notat Gothof. *ad L. 6. Cod. Theod. h. t.* ipsis imposuisset poenam mitiorem, praesertim cum gravior antea non fuerit inusitata, potius crederem illum poenam exasperasse quam minuisse.

Non minus autem poenae ignis ratio legis suffragatur: per *naturae peregrinos* enim nihil aliud intelligit Constantius, quam quod ipse in *L. 6. eod.* expressit per *humani generis inimicos*, & Valentinianus in *L.* 11. *eod.* per *communis hostes salutis*, ex eo vero quod in aliis criminibus veluti Plagio poena Bestiarum sit usurpata, non sequitur id in gravioribus etiam obtinere. Sed de eo jam satis superque; ultimum quod ad h. l. mihi notandum venit, est quod nescio quo fato, errore procul

du-

dubio orto ex nimia festinatione, Gothofredus scripserit hanc constitutionem esse Pagani Principis, cum omnibus notum sit, Constantium fuisse sacris Paganis maxime infensum, at partibus Arrianorum deditum.

§. VII. Anno 358. prodiit tertia Constantii lex, qua ulterius prosecutus est qui artes prohibitas excercent, eaque confirmantur quae attulimus de causa odii ejus adversus Magos aliosque similes; extat in *L. 6. Cod. Theod.* sive *L. 7. Cod. Justin. h. t.* en verba prout in Codice nostro repraesentantur: *Imp. Constantius A. & Julianus C. ad Taurum P.P. Etsi excepta tormentis sunt corpora honoribus praeditorum, praeter illa videlicet crimina quae legibus demonstrantur: etsi omnes Magi in quacunque sint parte terrarum humani generis inimici credendi sunt, quoniam tamen* (1) *qui in Comitatu nostro sunt ipsam pulsant propemodum Majestatem, si quis Magis,* (2) *vel Magicis carminibus* (3) *adsuetus, qui Maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut Aruspex, aut Ariolus, aut certe Augur, vel* (4) *Mathematicus, aut enarrandis* (5) *somniis occultans artem aliquam Divinandi, aut certe aliquid horum simile excercens, in Comitatu meo vel Caesaris fuerit deprehensus praesidio dignitatis exutus* (6) *cruciatus & tormenta non fugiat. Si vero* (7) *convictus fuerit* (8) *& ad proprium facinus detegentibus repugnaverit pernegando, sit eculeo deditus, ungulisque sulcantibus latera perferat poenas proprio dignas facinore. Dat. 3. Non. Jul. Arimini Titiano* (9) *& Cereale Coss.* 358. Variae personae jure nostro a Quaestionibus excusantur, veluti Milites *L. 8. C. de Quaest.* Decuriones *L. 16. C. eod.* Senatores *L. 10. C. de Dignitat.* (*Lib. 12.*) Qui nomine *eminentissimorum* ac *perfectissimorum* veniunt eorumque liberi usque ad pronepotes *L. 11. C. de Quaestion.* Quinam autem hoc nomine designabantur discere

(1) L. 6. Cod. Theod. *tamen quoniam.* (2) Cod. Theod. *siquis Magus.* (3) Cod. Theod. *contaminibus.* (4) Cod. Theod. *vel &.* (5) Cod. Theod. *narrandis.* (6) Cod. Theod. deest *exutus.* (7) Cod. Theod. deest *vero.* (8) Cod. Theod. deest *fuerit &.* (9) Cod. Theod. *Datiano.*

ſcere poſſumus apud Panciroll. *comment. ad Notit. Dignit. Imper. Orient. cap.* 2. *&* 3. In his omnibus ſolum crimen Laeſae Majeſtatis excipiebatur *L.* 16. *C. de Quaeſt. L. unic. Cod. Theod. ad Leg. Jul. Majeſt.* idque Imperator his indigitat verbis *praeter crimina quae legibus demonſtrantur.* Addi autem jubet crimen eorum qui in Comitatu Imperatoris aut Caeſaris Magicas artes exercent. *Comitatus* Imperatoris aut Caeſaris, proprie eſt quod vocamus Aulam, conſtatque iis perſonis quae Principem comitari ſolent Vid. Gothof. *in Gloſſ. Cod. Theod.* & Guther. *de Off. Dom. Aug. Lib.* 2 *cap.* 5. *init.* Ne autem vetitae artes ab illis exerceantur ſpecialiter prohibet Conſtantius, eadem ratione qua jam vidimus conſultationes circa Principes ſemper fuiſſe prohibitas, quia nempe *ipſam propemodum pulſant Majeſtatem.* Si ergo quis talis in Comitatu Imperatoris vel Caeſaris deprehenſus fuerit, vult lex ut *praeſidio dignitatis exutus*, diris cruciatibus torqueatur *ſi convictus ad proprium facinus detegentibus repugnaverit pernegando*, ſic verba jacent in Cod. Theod. in noſtro Codice autem *ſi vero convictus fuerit & ad* &c. Varie haec verba tentat Gothof. nec revera ſenſum idoneum efficiunt, vel pro *ad proprium* legit *ad properum*, id eſt, *valde properum* ſeu *valde foedum*, vel *ſi convictus ad properium* pro *convictus omnibus modis & ad foeditatem uſque.* Sed haec nimis videntur ſubtilia, quod ultimum proponit facile recipi poteſt, nempe pro *ad* legendum *at*, quod ſenſum planum in utroque Codice efficit, modo in Codice noſtro deleatur particula *&*, *ſi convictus fuerit, at proprium facinus detegentibus repugnaverit pernegando*, id eſt, ſi convictus fuerit, attamen per obſtinatam infitiationem repugnaverit illis qui proprium ſuum facinus detexere, ut tunc ſit eculeo deditus &c. Notandum autem eſt Conſtantium hic non ſingularem poenam proponere illis qui in Comitatu ſuo vetitas artes exercent, ipſis tantum adimit privilegium quo gaudebant, ne torqueri poſſent, ita ut poſt hanc legem aeque ac alii Quaeſtionibus obnoxii ſint, ad eruendam veritatem, deinde vero ſtatutis poenis plectendi.

Caeterum Vir Cl. Valeſius *ad Amm. Marcell. Lib.* 19. *p.* 173. ſubſcriptionem hujus legis ſollicitat ac pro *Datiano* (in

Cod. Just. male legitur *Titiano*) *& Cereale Coss.* substituit Consules anni sequentis *Eusebium & Hypatium*, at nulla addita ratione. Ex eo vero quod (ut Am. Marcell. refert) Anno 359. cruentae exercitae fuere quaestiones de Magis aliisque similibus, non sequitur eo anno hanc legem fuisse promulgatam, quin potius crederem legem nostram hisce quaestionibus originem dedisse. Potest ulterius ratio historica ac maxime idonea hujus legis erui, ex eo quod narrat Amm. Marcell. *Lib.* 18. *p.* 117. *ad Ann.* 358. de Barbatione qui in Comitatu Imperatoris vates consuluerat, ipsique magnum discrimen praedictum fuerat: Litteris, quas ab uxore acceperat, quibus eum orabat ne ad imperium admissus, ipsi matrimonium Euseriae tunc reginae anteponeret, ad Arbetionem delatis. *Hoc indicio ille confisus ut erat ad criminandum aptissimus Principi detulit*, *atque ex usu*, *nec mora ulla negotio tributa nec quiete*, *Barbatio Epistolam suscepisse confessus*, *& mulier scripsisse documento convicta non levi cervicibus interiere praecisis. Hisque punitis quaestiones longe serpebant*, *vexatique multi nocentes sunt & innocentes*. Haec Ammianus, ex quibus probabile fit Constantium hac occasione legem nostram edidisse. Plura vide huc pertinentia apud Gothof. *ad h. l.* qui conjicit nec immerito haec adeo severe statuisse Constantium in Comitatu suo & Juliani Caesaris, *ne ad altiora celsius anhelantem Juvenis Principis animum Mathematici impellerent*, quippe jam Constantius Juliano invidebat sibique ab eo metuebat ut patet ex Amm. Marcell. *Lib.* 15. *p.* 34. & *Lib.* 16. *p.* 85.

At si subscriptio hujus legis bene se habet, quantum ad nomina Consulum, proculdubio vitiosa est in nomine loci, exhibet enim *Dat. Arimini*, certum tamen est Constantium hoc anno in Pannonia egisse. Putat Gothofredus legendum esse *Aciminei*, cum mentio fiat urbis Aciminei in Pannonia apud Ptolomaeum, & in Itinerariis Antonini & Peutingeri. Potius tamen hic substituendum videtur *Syrmii*, patet enim ex Ammiano *p.* 119 haec *apud Syrmium* fuisse peracta.

§. VIII. Magos etiam ultra mortem prosecutus est Constantius. Bona damnatorum olim fisco addicebantur *L.* 1. *D. de*

Bon.

Bon. Damn. L. 4. *C. de Bon. Profcript.* id mutavit Conftantius. *L.* 2. *Cod. Theod. de Bon. Profcript.* juffit ut liberis damnatorum bona relinquerentur ufque ad tertium gradum, fed excepit bona Damnatorum ob crimen Majeftatis aut Magiae & in illis antiquam poenam locum habere juffit. Id conftituerat Anno 356. fed bienno poft abrogavit, quatenus liberis a Confifcatione immunitatem tribuebat, juffitque ut omnia bona damnatorum quacunque de caufa ad fifcum deferrentur *L.* 4. *Cod. Theod. de Bon. Profcript.* quod iterum a Valentiniano & Valente Anno 364. in *L.* 6. *Cod. Theod. eod.* mutatum eft, omnibufque liberis cujufcunque gradus aut fexus, quorumlibet damnatorum exceptis folis reis Majeftatis (non Magiae) integra bona relicta. Sed de hoc jure ulterius differere noftrum non eft.

§. IX. Conftantio fucceffit Julianus, Princeps fama admodum dubia. Statim atque Imperium adeptus eft veterem Deorum cultum reftituit, unde iterum Arufpicum, Augurum, Sacerdotum invaluit auctoritas Amm. Marcell. *Lib.* 22. *p.* 208. Nec dubium Mathematicos aliofque quos Conftantius legibus profligaverat etiam irrepfiffe, praefertim fi attendamus ad ea quae refert Amm. Marcell. *Lib.* 25. *pag.* 294. ubi de Juliano, *Praefagiorum fcifcitationi nimiae deditus, ut aequiparare videretur in hac parte Principem Hadrianum: fuperftitiofus magis quam legitimus facrorum obfervator.* Quid tamen in hanc rem ftatuerit Julianus nobis non fervarunt Juris noftri compilatores, noluerunt enim auctoritate fua firmare leges adverfus religionem Chriftianam latas.

§. X. Jovianus Imperium modo feptem menfes tenuit; eum fecutus eft Valentinianus Anno 364. qui fratrem Valentem mox imperii focium affumpfit, Auguftum declaravit, ipfique Orientem reliquit.

Paulo poft quam ad Imperium pervenit Valentinianus, edidit conftitutionem adverfus facra nocturna ac Magica quae extat in *L.* 7. *Cod. Theod. h. t. Ne quis deinceps nocturnis temporibus, aut nefarias preces, aut Magicos apparatus, aut facrificia funefta celebrare conetur, detectum atque convictum, competenti*

animadversione mactare perenni autoritate censemus Dat. 5. Id. Sept. Divo Joviano A. & Varroniano Coss. 364

Hic autem non prohibentur sacra Gentilitia nisi sint nocturna aut Magica, Valentinianus enim *Princeps* ut loquitur Am. Marcel. *p.*433. *inter religiones medius* nunquam jussit certos ritus observari, sed unicuique liberam more suo Deum colendi facultatem reliquit quod ipse testatur in *L. 9. Cod. Theod. h.t.* Necessarium tamen duxit coetus nocturnos aut Magica sacrificia non amplius celebrari. Vid. Gothofr. *ad h. l.*

§. XI. Anno deinde 371. prodiere duae Constitutiones ejusdem Valentiniani Senioris in *L. 9. & 10. Cod. Theod. h.t.* quibus connectenda *L. 5. Cod. Theod. de Indulgent. crim.* ut id accurate observavit & erudite ex Historia horum temporum probavit Gothofredus *ad dd. LL.* idque eo duce hic etiam facere conabor.

Ammianus Marcellinus *Lib.* 28. *in init.* multa refert quæ ad nostram legem pertinent quorum haec est summa. Apud Olybrium Præfectum Urbi, Chilo quidam & ejus uxor, veneficii accusarunt Sericum quendam Organarium, Asbolium palestritam, & Aruspicem Campensem. Cum vero propter Olybrii morbum diuturnum negotio mora necteretur, deprecantibus accusatoribus, id demandatum est Maximino Praefecto Annonae homini crudeli ac scelesto. Is potestatem nocendi avide amplexus, *maligna relatione docuit Principem* multa atrocia facinora in urbe perpetrari, inter quae multa *imminutae Majestatis*, quaeque nisi gravissimis poenis non possent coërceri. *Valentinianus ut erat acer vitiorum inimicus magis quam severus, uno proloquio*, (1) *in hujusmodi causas . . . . . . omnes quos prisci juris justitia, divorumque arbitria, quaestionibus exemere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis affligi.* Hac permissione impetrata, Maximinus mirum in modum per caedes & sanguinem grassatus, multos etiam nobilissimos non minore injustitia quam crudelitate necavit. Inter caetera *Mors Marini causarum defensoris eminuit, quem*

(1) Quid hoc sit docet Vales. *ad Am. Marc. in not. p.* 15.

quem ut ausum Hispanillæ cujusdam artibus pravis adfectasse conjugium, transeunter indiciorum fide discussa, supplicio lethali damnavit. Ammian. *p.* 359. eum secuti Cethegus Senator, Alypius nobilis adolescens, tandem Amantius Aruspex, *prae caeteris notus*, delatus *quod ob prava quaedam implenda, ad sacrificandum esset adscitus* ab Hymetio, viro præclarae indolis quique Proconsule Africam rexerat, cumque id Amantius negaret, productum commonitorium manu Hymetii scriptum, quo constitit quid ipse voluerit. Inde Amantius poena capitali punitus. Hymetius deductus ad Ampelium (qui tunc loco Olybrii Praefectus urbi erat) & Maximinum, ad Imperatorem appellavit, *super hoc princeps consultus Senatui negotium dedit* qui Hymetium relegavit. At Valentiniano maxime stomachum movit *quod hominem addictum ut ipse proposuerat morti, clementiori sententia didicerat plexum. Ob haec & similia multa, quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt coepta. Et ne tot malis dissimulatis, paulatimque serpentibus, acervi crescerent aerumnarum: nobilitatis* (1) *decreto legati mittuntur. . . . . oraturi ne delictis supplicia sint grandiora, neve senator quisquam inusitate & illicito more tormentis exponeretur.* (2) *Qui cum intromissi in Consistorium* (3) *hæc referrent, negantem Valentinianum se id statuisse & calumnias perpeti clamitantem, moderate redarguit Quaestor Eupraxius* (4), *hacque libertate emendatum est crudele praeceptum, supergressum omnia diritatis exempla.* Haec Ammian *p.* 360. quae, si conferamus dictas leges, patebit ad eas pertinere. Valentinianus Senatui iram suam deprecanti sic rescripsit in *L.* 5. *Cod. Theod. de Indulgent. crim. Indulgentia Patres conscripti quos liberat notat, nec infamiam tollit, sed poenae gratiam facit. In uno hoc aut in duobus reis ratum sit.*

Qui

(1) Id est ordinis Senatorii. (2) erant enim a Tormentis immunes ut supra diximus. (3) id est secretum principis Consilium Vid. Guther. *de Off. Dom. Aug. Lib.* 2. *cap.* 18. (4) Quaestoris officium erat Leges, Epistolas, Rescripta &c. dictare & subscribere Vid. Guther. *de Off. Dom. Aug. Lib.* 2. *cap.* 18.

Qui indulgentiam senatui dat damnat Senatum. Dat. 14. *Cal. Jun Trev. Grat. A.* 2. *& Prob. Coss.* 371. Hisce subjicienda verba *L.* 9. *Cod. Theod. h. t.* videntur enim cohaesisse, *Aruspicinam ego nullum cum Maleficiorum causis habere consortium judico, neque ipsam aut aliquam praeterea concessam & majoribus religionem, genus esse arbitror criminis; Testes sunt leges a me in exordio imperii mei datae, quibus unicuique quod animo imbibisset colendi libera facultas tributa est. Nec Aruspicinam reprehendimus, sed nocenter exerceri, vetamus.* Cum magna pars Senatus jure aut injuria criminis accusaretur, orarunt patres ut ipsis Imperatorem indulgentiam tribueret qua omnes simul ac semel a majori perquisitione liberarentur: Valentinianus vero honore Senatus, seu potius ut suspicatur Gothofredus *ad h. l.* desiderio singula accurate inquirendi, ipsis & ad veritatem & ad sua commoda consentanée, negat se posse integro Senatui indulgentiam concedere, quia indulgentia est tantum a poena non ab infamia liberatio, idque foret potius totum Senatum damnare quam absolvere, se vero quibusdam reis deprecantibus facile indulgentiam daturum confitetur. Quod vero ad Aruspicinam pertinet, exemplum Constantini secutus, eam omnemque aliam avitam religionem, nullum cum maleficiis consortium habere judicat, ita ut eam excercere publice ac tanquam cultum Deorum permittat, neutiquam vero ob solam curiosam circa res Imperatoris aut imperii indagationem.

Valentinianus sic munere erga Senatum functus, noluit tamen disquisitionem in haec crimina cessare, immo jussit ut haec ad se remitterentur ideoque in haec verba rescripsit ad Ampelium Praef. Urbi in *L.* 10. *Cod. Theod. h. t. Quia nonnulli ex ordine Senatorio Maleficiorum insimulatione atque invidia stringebantur, idcirco hujusmodi negotia urbanae Praefecturae permisimus. Quod si quando hujusmodi inciderit quaestio quae Judicio memoratae sedis dirimi vel terminari posse non creditur, eos quos negotii textus amplectitur una cum gestis omnibus praesentibus atque praeteritis, ad comitatum mansuetudinis nostrae solemni observatione transmitti praecipimus, Dat.* 8. *Id. Dec. Grat. A.* 2. *& Prob. Coss.* 371. Praefectus urbis erat judex or-

ordinarius Senatorum *L.* 13. *Cod. Theod. de accusat. L.* 10. *Cod. Theod. de Poen.* hac lege vero jubet Imperator ea quae erunt majoris momenti crimina ad se deferri, reosque ad comitatum suum mitti *una cum gestis omnibus praesentibus & praeteritis*, quod in jure nostro vocatur elogium, id est annotatio & enarratio criminis. Vid. Brisson. *De Verb. Sign. in voce elogium* & Vales. *in not. ad Am. Marcel. p.* 15.

§. XII. Dum haec in Occidente gerebantur ad comprimendos Magos & Mathematicos, Valens in Oriente non minus in in eos saeviebat, ut patet ex *L.* 8. *Cod. Theod. h. t.* cujus ultima tantum pars extat in *L.* 8. *C. eod.* Hujus legis iterum occasionem, ut videtur, prolixe refert Am. Marcel. *Lib.* 29. *in init.* quod & hic eum secuti aliquanto brevius facere conabimur. Palladius quidam cum Heliodoro *fatorum per genituras interprete*, accusarunt Fidustium Praesidatu functum, *nomen Imperaturi post Valentem detestandis praesagiis didicisse secretim.* Fidustius confessus est se cum Hilario & Patricio vaticinandi peritis, consuluisse de futuro Imperio, ipsisque praedictum fuisse Valenti successurum principem optimum nempe Theodorum, virum qui (ut pulchre inquit Ammianus p. 384) *officio locoque quem retinebat semper superior videbatur*; addebat Fidustius, Theodorum haec didicisse per Eusebium virum egregium ac antea Asiae Propraefectum. Hi statim in carcerem conjecti cum multis aliis suspectis, Theodorus qui Constantinopoli erat inde correptus ac Antiochiam ductus, constitutum judicium datique cognitores inter quos erat Modestinus Praefectus Praetorio, Ammian. *p.* 386. *in fin.* interrogati Patricius & Hilarius, cumque diverse responderent, tormentis coacti omnia accurate exponere. Tum Hilarius exorsus confessus est ea quae refert Am. Marcel. *p.* 387, 388. quae etsi longiora tamen hic referenda, cum non modo ad Historiam nostram pertineant, sed etiam exemplum prebeant insigne de notabili futura inquirendi modo. Haec sunt ipsa Ammiani verba: *Construximus inquit* (Hilarius) *magnifici judices, ad cortinae similitudinem Delphicae, diris auspiciis de laureis virgulis infaustam hanc mensulam quam videtis, & imprecationi-*

nibus carminum secretorum, Choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam, movimus tandem, movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatae odoribus Arabicis undique, lance rotunda pure superposita, ex diversis materiis fabrefacta: cujus in ambitu rotunditatis extremo, elementorum viginti quatuor scriptiles formae incisae perite dijungebantur spatiis examinatae (1) *dimensis. Hac linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo* (2) *capite circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine praescitionum autore, cerimoniali scientia superstitit, cortinulis* (3) *pensilem annulum librans arctum ex Carpathio* (4) *filo perquam levi misticis disciplinis initiatum, qui per intervalla distincta retinentibus litteris incidens saltuatim, heroos efficit versus interrogationibus consonos, ad numeros & modos plene conclusos, quales leguntur Pythici vel ex oraculis editi Branchidarum* (5)*. Ibi tum quaerentibus nobis qui praesenti succedet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, & adsiliens annulus duas perstrixerat Syllabas* ΘΕΟ *cum adjectione litterae* (6) *postrema, exclamavit praesentium quidam Theodorum praescribente fatali necessitate portendi. Nec ultra super negotio est exploratum, satis enim apud nos constabat hunc esse qui poscebatur.*

Haec Ammianus ad quae satis multa notari possent ni id nimis extra institutum nostrum evagaretur. Eandem historiam referunt & alii Scriptores, verum de modo quo sacrum illud peractum fuit inter eos non convenit. Diversitates collegit Valesf *in not. ad h. l.* Quidquid sit de re constat. Hisce cognitis ac Theodoro convicto se ea scivisse, omnes cum plurimis aliis qui in suspicionem inciderant, Imperator cognitorum con-

(1) Valesf. mallet *examinate.* (2) Valesio magis placet *capiti*, Torulus autem est fascia seu vitta. (3) *Cortinulae* sunt vela ex quibus annulus dependet. (4) Valesius mallet *Carpasio* id est linteo. (5) Branchidae locus erat in agro Milesio supra Panormum celebris Apollinis oraculo. Vid Valesf. ad h. l. (6) Id est Litterae Δ.

consultationi respondens sub uno proloquio jubet occidi Ammian. *p.* 389. Multa hic nefandae crudelitatis monumenta narrantur sed nihil singulare habent, hoc unice notandum quod refertur *p.* 390. *Deinde congesti innumeri codices, & acervi voluminum multi sub conspectu Judicum concremati sunt, ex domibus eruti variis ut inliciti ad leniendam caesorum invidiam, cum essent plerique liberalium disciplinarum indices variarum & juris.*

Hisce ergo ut videtur commotus Valens, constitutionem nostram *L.* 8. *Cod. Theod. h. t.* edidit, nec abs re suspicatur Gothofredus eam esse eandem illam responsionem cognitoribus datam quam memorat Ammian. *l. c.* saltem inscriptio est ad Modestinum qui ut vidimus erat inter judices. Legis verba haec sunt: *Cesset Mathematicorum tractatus, nam si qui publice aut privatim in die noctuque deprehensus fuerit in cohibito errore versari, capitali sententia feriatur uterque. Neque enim dissimilis culpa est prohibita discere quam docere Dat.* 11. *Id. Decemb. Constantin. Valentiniano & Valente AA. Coss.* Prohibetur hic qualiscunque artis Divinatoriae usus, publicus, privatus, noxius, innoxius, idque sub poena capitali, tam consulentis quam respondentis, quia *Culpa similis est prohibita discere quam docere* quae sola verba reperiuntur in *L.* 8. *C. h. t.* reliqua praetermissa sunt. Poenam non definit Valens, at ex Ammian. Marcell. *p.* 389. patet omnes hujus criminis reos fuisse strangulatos, praeter Philosophum Simonidem, qui ob singulare odium vivus fuit combustus. Dubium autem non est hic sub nomine Mathematicorum etiam Magos comprehendi, quod saepe fit, ut passim apud Historicos aliosque observare licet, & revera quae ex Ammiano retulimus proprie pertinent ad ea quae vulgo Magis tribuuntur. Caeterum cum huic legi non subjiciatur annus aut Consulatus quo lata fuit nec id liquido ex Ammiano definiri queat, nihil certi de eo statuere possumus. In Codice Justinianeo quidem subjicitur annus 365, at recte observat Gothofredus, eam ad hunc annum referri non posse; data est enim Modestino Praefecto Praetorio, qui successit Auxonio adhucdum Praefecturam gerenti ad

H extre-

extremum anni 369, ut patet ex Hiſtoricis & *L. 2. Cod. Theod. de Legitim. Haeredit.* An vero referri debeat ad Conſulatum Valentiniani & Valentis tertium anno 370, an ad quartum anno 373 ambigit Gothofredus. Putat tamen (quod & veriſſimum credo) potius pertinere ad annum 370 quia data fuit Conſtantinopoli in quam urbem ex Antiochia eo anno revertit Valens, & praeſertim quia ab illis qui ea quae ſupra vidimus narrant, nulla fit mentio Conſulatus Modeſtini, qui Conſul fuit anno 372.

§. XIII. Malefici adeo ſaepe declarati fuerant *hoſtes publici*, *humani generis inimici*, *naturae Peregrini*, ut quidam putarent in eos licere quae vulgo in hoſtem publicum licent, id eſt eos occidere. Id praeſertim eveniebat illis qui certamine Circenſi victi erant; credebantur nempe Agitatores ſive Aurigae equos aliorum carminibus ac veneficiis labefactare, ut eo facilius victoriam reportarent, quod erudite ac prolixe probatum ivit Gothofred. *ad L.* 11. *Cod. Theod. h. t.*, & ex eo quod de Auchenio Auriga refert Amm. Marcel. *Lib.* 26. *p.* 314. facile colligi poteſt. Victi autem furore incenſi adverſarios ſub praetextu Maleficii criminis ſaepe interficiebant. Ad malum illud reprimendum prodiit Valentiniani junioris, & Theodoſii Magni conſtitutio quam habemus in *L.* 11. *Cod. Theod. h. t.* & in *L.* 9. *C. eod.* en verba: *Quicunque Maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupaverit, illico ad publicum pertrahat* (1), *& Judicum* (2) *oculis communis hoſtem ſalutis oſtendat. Quod ſi quisquam ex Agitatoribus, [id eſt Aurigis]* (3) *ſeu ex quolibet alio genere hominum, contra hoc interdictum* (4) *venire tentaverit, aut clandeſtinis ſuppliciis etiam manifeſtum reum Maleficae artis oppreſſerit* (5), *ultimum ſupplicium non evadat, geminae ſuſpicioni obnoxius, quod aut publicum reum, ne facinoris ſocios publicaret, ſeveritati legum, & debitae ſubtraxerit quaeſtioni, aut proprium fortaſſis inimicum ſub hujusmodi* (6) *vindictae nomine*

(1) L. 11. Cod. Theod. *protrahat.* (2) L. 11. Cod. Theod. *Judiciorum.* (3) in L. 11. Cod. Theod. abeſt *id eſt Aurigis* quod revera delendum videtur. (4) L. 11. Cod. Theod. *edictum.* (5) L. 11. Cod. *ſuppreſſerit.* (6) L. 11. Cod. Theod. *hujus.*

ne consilio atrociore confecerit. Dat. 17. Cal. Sept. Romae Timasio & Promoto Coss. 389. Ad hanc legem adeo accurate commentatus est Gothofredus ut ne minimum mihi reliquum fecerit, praeter ad verbum exscribendi, aut (quod malo) Lectorem ad ipsum remittendi copiam.

§. XIV. Ultima tandem quae in libris nostris reperitur adversus Maleficos, Mathematicos, caeterosque similes constitutio extat in *L. 12. Cod. Theod. h. t.* quam Justinianus retulit in *L. 10. C. de Episcop. Audient.* Partem facere videtur prolixae constitutionis Honorii & Theodosii circa processum (ut vocatur) criminalem, & cujus multa si non omnia habemus conjunctis *L. 5, 6. Cod. Theod. de exhib. reis L. 7. Cod. Theod. de Custod. reor. L. 2. Cod. Theod. ut intra annum crim. act. term. L. un. Cod. Theod. ne pastor. dent. fil. nut. L. 13. Cod. Theod. de fid. test. L. 3. Cod. Theod. de superexact. L. ult. Cod. Theod. de Abolit. L. 12. Cod. Theod. de Malefic.* Omnes enim hae leges inscriptae sunt Caeciliano. P. P. eundemque exhibent annum 409 diemque 12 Cal. Febr. si legem nostram *& L. ult. de Abolit.* excipias, quae diem 8 Cal. Febr. habent: sed erroribus legum subscriptiones scatere neminem fugit; adde quod nec hujus *L. 12. de Malef.* subscriptio congruit cum subscriptione *L. 10. C. de Episc. Audient.* adeo ut facile utraque vitiosa esse possit. Quidquid sit, *Mathematicos* (ajunt Impp.) *nisi parati sint, codicibus erroris proprii sub oculis Episcoporum incendio concrematis Catholicae religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem primum redituri, non solum Urbe Roma sed etiam omnibus civitatibus depelli* (1) *decernimus. Quod si hoc non fecerint, & contra clementiae nostrae salubre constitutum in civitatibus fuerint comprehensi* (2), *vel secreta erroris sui & professionis insinuaverint, deportationis poenam excipiant, Dat. Cal.* (3) *Feb. Raven. Honor.* 8. *Theodos.* 3. *AA. Coss.* 409.

Re-

(1) L. 12. Cod. Theod. h. t. *pelli.* (2) L. 12. Cod. Theod. *deprehensi.* (3) L. 12. Cod. Theod. *Dat.* 8 *Cal.*

Requirunt Imperatores a Mathematicis, ut libris suis combustis religioni Catholicae fidem tradant ipsis tunc (ut Tiberius olim deprecantibus) se veniam daturos pollicentur Si vero id noluerint duplex poena in ipsos proponitur, primo nempe ut omnibus civitatibus expellantur. At si adversus hanc legem fecerint, ac iterum in civitatibus deprehendantur, aut artem suam alios docere conentur, tunc demum deportari jubentur. At hic mirari licet clementiam Imperatorum; quam exigua haec poena, si conferatur cum illis quas supra a Constantio aliisque propositas vidimus! Sed jam plus semel observavimus, quo magis Principes sibi a conjurationibus metuebant eo magis in Mathematicos &c. saeviisse.

§. XV. Vidimus quantum ad poenas, semper acerbe habitos fuisse Magos ac Mathematicos, non minus id ipsis contigit in indulgentiis criminum Quando nempe aliquod improvisum gaudium oriebatur veluti ob partum liberorum, ob victoriam reportatam, solebant Imperatores reis criminum indulgentiam concedere; Vid. Gothof. *ad Tit. Cod. Theod. de Indulg. crim.* sed semper excipiebantur rei atrociorum criminum & inter eos Malefici. Valentinianus senior primus edidit constitutionem qua reis veniam dedit ob Festum Paschatis *L.* 3. *Cod. Theod. de Indulg. crim.* Sed excipiuntur *Sacrilegi*, *rei in Majestatem*, *&* *in mortuos*, *Venefici sive Malefici*, *adulteri*, *raptores*; *homicidæ*, quod postea semper observatum ut in *L.* 4. *eod.* & in *L.* 6. *eod.* quæ est Valentiniani junioris & in qua nominatim excipitur, *qui noxiis quaesita graminibus & diris immurmurata secretis*, *mentis & corporis venena composuit*, iterumque in *L.* 7. *eod.* ac denique in *L.* 8. *eod.* quæ generalem & perpetuam indulgentiam Paschalem continet.

§. XVI. Judex ordinarius hujus criminis proculdubio erat Praefectus Urbi, ut qui judex erat omnium criminum in urbe & Provinciis suburbicariis *L.* 1. *pr. D. de Off. Praef. Urb.* usque ad centesimum lapidem *L.* 1. §. 4. *D. eod.* Etiam de Senatoribus judicasse jam observatum est. Si quid contingebat ultra centesimum lapidem cognitio erat penes Praesidem Provinciae aut Praefectum Praetorio. Aliquando etiam Prae-

fe-

fecto Praetorio res singulari jussu mandabatur, quod passim hic observari licuit. Hic autem facile quis querere posset quid in nostro crimine puniatur, satis enim constat omnes illas artes Magicas ac Mathematicas vanis atque inanibus susurris perfici, nec ullum effectum producere, nisi revera malum venenum datum sit; nemo autem cogitationis poenam patitur *L.* 18. *D. de Poen.* idque generaliter in criminibus verum esse, nisi specialiter utilitatis publicae causa aliter constitutum sit, more suo solide ac erudite probavit A. Praeses a Bynkersh. *Observ: Lib.* 3. *cap.* 10. unde sequitur crimen illud non posse merito puniri. At non difficilis est responsio. Primo enim Principes qui in hanc rem leges edidere non putabant haec vana ac inania esse, vel si putabant sua referebat ne id vulgus crederet, ideoque semper serio & tanquam gravissimum crimen illud tractarunt, non modo exitum sed etiam voluntatem puniendo. Secundo ex ipsa ratione juris facile deduci potest haec non debere impunita remanere, etiamsi nullus exitus adsit, pertinet enim hoc crimen ut supra vidimus ad Legem Corneliam de Sicariis, ea vero non tantum animadvertitur in eum qui hominem occidit, sed etiam in eum qui hominis occidendi voluntatem habuit, ut si hujus rei gratia cum telo ambulaverit *L.* 1. *pr. D. ad Leg. Corn. de Sic.* imo ut ait Paulus *Sent. L.* 5. *Tit.* 23. §. 3. *Qui hominem occiderit aliquando absolvitur, & qui non occidit ut homicida damnatur. Consilium enim uniuscujusque non fatum puniendum est.* Jam vero qui Magicas artes excercent persuasi sunt, aut saltem aliis persuadere volunt, illis posse alicui mortem aliudve malum infligi, ac eo animo ipsas adhibent; sponte ergo fluit, id genus hominum incidere in casum Legis Corneliae quo voluntas non exitus punitur, nec enim refert quid adhibitum fuerit ad aliquem interficiendum modo de consilio constet. Vir A. a Bynkershoek l. c. putat id expresse in hoc crimine constitutum esse ut voluntas puniatur non exitus, hucque refert *L.* 14. *D. ad Leg. Corn. de Sic. Divus Hadrianus in haec verba rescripsit: In maleficiis voluntas spectatur non exitus*, ibique Maleficia interpretatur de illis Maleficiis quae ita per excellentiam vocantur & de quibus in tota hac Dissertatione agimus.

Haec de Maleficis ac Mathematicis, jam quaedam addamus, de aliis quibusdam qui jure aut injuria ipsis aequiparari solent.

CAPUT QUINTUM.

De illis qui cum Magis & Mathematicis affinitatem quandam habent, aut falso eo nomine comprehenduntur.

§. I.

ULpianus in *L. 7. D. de extraord. crimin.* loquitur de *saccularii qui vetitas in sacculo artes excercentes partem subducunt partem subtrahunt*, illi *plus quam fures puniendi sunt, id circoque aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur & dimittuntur, aut ad tempus relegantur.* Sed quae nam sint artes illae vetitae non definit Ulpianus, & in illis explicandis admodum breves sunt viri docti. Cujac. *Observ. Lib.* 10. *cap.* 27. Saccularios definit *qui Magicis artibus ex alienis sacculis aut subducunt pecuniam aut subtrahunt. Subducunt* nempe vi carminum, *subtrahunt* nempe manu. Forte non sunt dissimiles ab illis qui hodie *Joueurs de Gobelets* vocantur qui saepe subtilibus manibus attonitos spectatores rebus pretiosis spoliant.

§. II. His proximi sunt *Circulatores, qui serpentes circumferunt & proponunt L. ult. D. de extraord. crim.* nullo modo confundendi cum Medicis qui περιοδευταὶ *id est circulatores* vocantur in *L. 6. §. 1. D. de excusat.* & de quibus late egit vir stupendae eruditionis Aegid. Menagius *Amoenit. Jur. cap.* 35. Quinam autem sint nostri circulatores, iterum definire praetermisit Jurisconsultus in *d. L. ult.* Cicer. *ad Fam. Lib.* 10. *epist.*

epist. 32. meminit quendam *Circulatorem auctionum*, Plin. Epist. *Lib.* 4. *epist.* 7. *in fine Num........ ut Circulator in foro legeris.* Senec. *de Benef. Lib.* 6. *cap.* 11. *Alter apud proximum circulatorem resedit, & dum vagus & erro vernaculis congregatur & ludit &c.*, ex istis locis colligi potest, Circulatores esse homines in foro residere adsuetos, ibique multa voce quaedam Populo recitare. At si apud Senecam Vernaculos intelligamus de illis quos supra sic vocari notavimus (cap. 2. §. 10.) ut omnino videtur intelligendum, jam constabit quid sit Circulator, nempe proculdubio ipse Vernaculus; adde quod Tertullian. *Apolog. cap.* 23. loquitur de *Circulatoriis Praestigiis.* De illis etiam plura nos docebit Scholiastes Juvenalis *ad Sat.* 6. *v.* 583. ubi Poëta insectatur mulieres quae nihil agunt nisi prius consulto Astrologo.

Si mediocris erit spatium lustrabit utrumque
Metarum, & sortes ducet, frontemque manumque
Praebebit vati crebrum poppysma roganti.

Ad illa verba *& sortes ducet* Scholiastes *Quod circulatores hoc consueverint adhibere ut delectis sibi locis duobus, eos lustrent, id est circumeant, deinde per eos sortes, id est, Taxillos jactitant: quo exinde quod suae Geneseos signum se accomodaverit, inspiciatur numquid vivet & quando & paucis ex verbis idem conceptis sortes educant suas.* Ex istis patet Circulatores etiam frequenter in Circo versari, ibique cuilibet fata sua praedicere solitos fuisse, idque per inspectionem sortium, ex quo divinandi genere hodie fere tota ars Magica & Mathematica *Sortilegium* vocatur. Multis modis id fiebat, vulgo varios versus aliudve quid simile in urnam conjiciebant, & inde manu Pueri extrahebantur, proutque id eveniebat pro bono vel malo omine habebant. Vid. Cic. De Divin. *Lib.* 2. *cap.* 41. id *sortes ducere* dicebatur, puerique *sortilegi* vocabantur. Templa etiam erant in quibus specialiter haec excercebantur, veluti sortes Praenestinae & Antiatinae de quibus Sueton. *in Tiber. cap.* 63. & *Caligul. cap.* 57. & in templo Veneris Erycinae ut patet ex inscriptione quam ex Sponio adducit Broekkus. *ad Tibull. Lib.* 1. *eleg.* 3. *v.* 11. Aliquando etiam ex nobili autore fortuito

fortuito aperto sortes desumebant, cujus exempla vid. apud Spartian. *in vit. Hadrian. cap.* 2. *ibiq. Casaubon.* & Trebell. Poll. *in vit. Divi. Claud. cap.* 10. & Lamprid. *in Alexand. Sever. cap.* 14. Sed iterum ad Circulatores nostros. Erant ergo scurrae ac Vernaculi qui in Foro aut Circo futura Populo per sortes praedicebant. At inquit Jurisconsultus in *L. ult. de extraord. crim.* Serpentes circumferebant, de eo nihil apud alios, sed videntur Præstigiatores isti ut vulgi admirationem excitarent, serpentes quosdam utcunque sopitos Populo ostendisse, ipsique persuasisse se vi carminum venena posse extinguere. In illos autem si cui ob metum damnum datum sit *pro modo admissi actio dabitur d. L. ult.* & merito, poterant enim facile pueri vel mulieres, metu horum serpentum damnum accipere.

§. III. De Vaticinatoribus supra egimus. Cum illis affinitatem quandam habere videntur *Fanatici*, de quibus etiam mentio fit in jure nostro, sed (saltem quod sciam) tantum circa servos, nempe in *L.* 1. §. 9. *&* 10. *D. de Aedilit. Edict.* ubi ita Ulpianus: *Apud Vivianum quaeritur si servus inter Fanaticos non semper caput jactaret, & aliqua profatus esset, an nihilominus hic sanus videretur.* Brisson: *select. Antiq. Lib.* 2. *cap.* 13. recte observavit per Fanaticos intelligendos *Gallos* magnae Deum matris Cybelis sacerdotes, qui ita passim vocantur. Illis mos erat semper magnis motibus caput comamque jactare ut melius de Deo pati crederentur, sicque etiam futuris prædicendis se immiscebant. Testis sit Servius *Ad Virg. Aeneid. Lib.* 10. *v.* 220. Mater *Deum dicta Cybele* ἀπὸ τοῦ κυβιστᾷν τὴν κεφαλὴν *id est capitis rotatione, quod semper Galli motu capitis per furorem comam rotantes ululatu futura pronuntiabant.* Idque in omnibus qui futura ex inspiratione Numinis canebant, observare licet, Sic apud Tibul. *Lib.* 2. *eleg.* 5. *v.* 65.

Haec cecinit vates & te sibi Phoebe vocavit,
Jactavit fusa sed caput ante coma.

Sic & apud Virg. *Aeneid. Lib.* 6. *v.* 45. Ubi magnus ille artifex mire Sibyllae furorem repraesentavit, ita ut meo judicio si-

ne

ne admiratione haec legi nequeant, nec piget ea referre.

Ventum erat ad limen cum Virgo, Poscere fata
Tempus ait. Deus ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores subito, non vultus, non color unus,
Nec comptae mansere comae, sed pectus anhelans,
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore Dei.

Hisce adde versiculum Plautinum *Hariolus fiam capillos promittam*, quem non addito loco ad verba Tibulli mox laudata adducit Scaliger. Sed iterum in viam. Sacra Magnae Matris Romae quidem erant recepta, verum quantum ipsius sacerdotes infames habiti fuere, omnibus notum est, adeo ut tantum vilissimae sortis homines istis sacris se immiscuerint. Quaerit itaque Jurisconsultus in *d. L.* 1. §. 9. *de Aedilit. Edict.* an servus qui haec sacra secutus est possit redhiberi, ac respondet quod *si id fecerit at non faciat nullum vitium esse, neque eo nomine quod aliquando id fecit actio est, sicuti si aliquando febrem habuit*; si vero in eo permaneret id quidem vitium esse, *sed vitium animi non corporis, ideoque redhiberi non posse quoniam Aediles de corporalibus vitiis loquuntur, attamen ex empto actionem admittit.*

§. IV. Sub Titulo de Vaticinatoribus Paulus etiam retulit illos *qui novas & usu vel ratione incognitas religiones inducunt*, itaque & de illis hic quaedam videamus.

Romulus legem tulerat *Deos peregrinos ne colunto*, teste Dyonis. Halic. *Lib.* 2. Hanc legem secuti Romani, non facile permiserunt ut alii Dei quam qui publice fuere adsciti, publice colerentur. Inde saepe in hanc rem quaestiones habitae. Livius *Lib.* 4. *cap.* 30. ad annum U. C. 327. refert quod *animos multiplex religio, & pleraque externa invasit, novos ritus sacrificando, vaticinando inferentibus in domos quibus quaestui sunt capti superstitione animi. Donec publicus jam pudor ad primores civitatis pervenit, cernentes in omnibus vicis, sacellisque peregrina atque insolita piacula pacis Deum exposcendae. Datum inde negotium Aedilibus ut animadverterent ne qui nisi Ro-*

mani. Dii, neu quo alio more quam patrio colerentur. Iterum anno 539 teste eodem Livio *Lib. 25. cap. 1.* ubi late talem inquisitionem refert, tuncque res eo devenit ut M. Atilius Praetor Urbanus *edixerit, ut quicunque libros vaticinos precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes litterasque ad se ante Calendas Aprilis deferret, neu quis in publico sacrove loco, novo aut externo ritu sacrificaret.* Tertium idem factum in memorabili illa de Bacchanalibus perquisitione quam memorat Liv. *Lib. 39. cap. 8. & seqq.* & de qua supra (cap. 2. §. 3.) Haec ita Romani adversus illos qui in religione publice recepta quid novare volebant, rati religionem avitam mutari non posse nisi & imperium mutaretur. Aliquanto mitiores se praebuere, iis qui contenti sacra sua privatim colere nihil in publicis mutabant, idque testatur Marcianus in *L. 1. §. 1. D. de Colleg. & corp. Sed religionis causa coire non prohibentur dum tamen per hoc non fiat contra Senatusconsconsultum, quo illicita collegia arcentur*, id est (secundum interpretationem A. Praesidis a Bynkershoek *de Cult. Relig. Pereg. Differt. 2. inter Opusc. p. 244.*) *Convenire licet religionis suae exercendae ergo, etsi publice non receptae dummodo non vetitae.* Vid. quae habet Vir A. l. c. ubi totam rem magna eruditione pertractavit.

In eandem sententiam scribit Paulus *Sent. Lib. 5. Tit. 21. §. 2.* quod *qui novas vel usu incognitas religiones inducunt ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur humiliores capite puniuntur*, nempe puniuntur tantum si inde hominum animi moventur, eodem sensu ac Vaticinatores ex civitate expelluntur, ne populares animi turbentur.

Ab illa clementia soli excepti Christiani, nec mirum, eorum religio omnem aliam excludebat, ritusque sacratissimos penitus evertebat, adorationem Imperatorii Numinis tanquam impiam rejiciebat vid. Bynk. *De Rel. Per. p. 253.* Christianae religionis fata persequi nec est facile opus nec nostri instituti, rem omnem magna doctrina & diligentia peregit Balduinus *in Comment. ad edicta Veter. Princip. de Christ.* Id modo ad nos pertinet quod saepe Magi ac super-

perstitiosi Christiani vocati sunt & eo nomine coërciti Suet. *in Neron. cap.* 16. eos vocat *Genus hominum superstitionis novae ac Maleficae*, & Tacito *Annal. Lib.* 15. *cap.* 44. religio Christiana dicitur *exitiabilis superstitio.* Quid de illis senserint Pagani ipsi testantur Christiani Scriptores & inter alios Tertullianus *Apolog. cap.* 2. ubi ait Christianum existimari *omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, Legum, morum, naturae totius inimicum*; nec parum ad id faciebat quod solerent Christiani *stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere*, ut inquit Plinius in celebri illa de Christianis ad Trajanum epistola *Lib.* 10. *ep.* 97. Omnes enim coetus antelucanos semper fere detestati sunt Romani. In libris Digestorum nulla nominatim Christianorum fit mentio, cum Justinianus eorum nomen ex fragmentis Paganorum Jurisconsultorum in quibus procul dubio parum honorifice nominabantur, sollicite sustulerit. Non tamen id adeo accurate executus est ut nec vola nec vestigium supersit. Vidimus jam libros improbatae lectionis esse libros Christianae fidei in *L.* 4. §. 1. *D. fam ercisc.* Quidam ad Christianos etiam referunt rescriptum D. Marci *in L.* 30. *D. de Poen.* sed jam notavimus id potius esse referendum ad Vaticinatores, & in specie ut videtur ad illum qui motu Cassiano vaticinatus erat. Rectius Balduinus *Comment. ad vet. Princip. edic. p. m.* 102. ad Christianos trahit quod Ulpianus scribit in *L.* 1. §. 3. *D. de Extraord. cognit.* inter Medicos numerari non debere si quis *incantavit, si imprecatus est, si ut vulgari impostorum verbo utar exorcizavit.* Exorcistas fuisse genus quoddam Ministrorum Ecclesiarum, notum est non tantum ex Historia Ecclesiastica, sed etiam ex jure nostro, eorum enim fit mentio in *L.* 24. *Cod. Theod. de Episcop. & Cleric.* (quae est L. 6. C. eod.) *L.* 121. *Cod. Theod. de Decurion.* eorum definitionem tradit Isidor. *Orig. Lib.* 7. *cap.* 12. *Exorcistae ex Graeco in Latinum adjuratores sive increpantes vocantur, Invocant enim super catechumenos, vel super eos qui habent spiritum immundum nomen Domini Jesu, adjurantes per eum ut egrediatur ab*

eis. Si quis ergo ab iſtis exorciſtis ſanatus fuerit non putat Ulpianus id pertinere ad cognitiones de Mercedibus Profeſſorum artium liberalium.

§. V. Chriſtiani vice ſua rerum potiti Paganos quieſcere non ſiverunt. Nec tantum adverſus eos ſed etiam contra illos quos Haereticorum nomine nuncupabant inſurrexerunt, an non aliquando ſupra modum aliis definiendum relinquo. Nullis autem infenſiores fuere & Chriſtiani & Pagani, quam Manichaeis. Principes Gentiles ſeveriſſimas in eos ediderunt leges quia Magiam excercere credebantur, unde in Codice Gregoriano & in Collatione Legg. Moſaic. & Rom. extat Titulus de *Maleficis & Manichaeis*. Nomen ac originem trahunt a quodam *Mane* Perſa, eorum ſententias variasque ſpecies enarrare non eſt hujus loci. Magicas artes tractare conſueviſſe probant viri docti ex ſcriptoribus eccleſiaſticis & inter alios ex Epiphanio *adverſus Manichaeos Haereſ. 66. n.* 18. & 88. Haec procul dubio fuit ratio quare a Diocletiano fuere coërciti, celebri reſcripto quod extat in Cod. Gregor. *Lib.* 19. *Tit.* 4. & Collat. LL. Moſaic. & Romanar. *Tit.* 15. §. 3. verum adeo lacerum ut deſperandum ſit, id poſſe in integrum reſtitui, ni forte manuſcriptum quoddam optimae notae ex Bibliothecarum latebris eruatur. Fruſtra ſaltem in illo ſanando laborarunt viri quorum monumenta in pretio erunt donec litteris ſuus conſtabit honor, Pithoeus, Barthius, Schulting. Bynkershoek. Id unice ex eo notabimus quod Diocletianus jubet, Manichæorum *autores ac principes una cum abominandis ſcripturis, Severi poenae ſubjici ita ut flammeis ignibus exurantur, Conſentaneos vero, & uſque ad eos* (Pith. melius leg. *adeo*) *contentioſos capite puniri praecipimus & eorum bona fiſco noſtro vindicari ſancimus*. Haec de humilioribus, ſi autores ſint vivi comburuntur, ſi tantum *conſentanei* id eſt ejuſdem ſectae ordinaria capitis poena plectuntur & bona fiſco addicuntur. Si vero perſonae ſint honoratae, bona fiſco cedunt, ipſi ad metalla damnantur. De tempore quo haec lata eſt conſtitutio, nihil liquido ſtatui poteſt. Vir A. Bynkershoek putat latam

latam fuisse anno 298 vel 299, rationes vid. in Opusc. *de Cult Rel. Pereg. Diss.* 2. *in fin.*

Principes Christiani multas leges in Manichaeos ediderunt quae in utroque Codice reperiuntur. Valentinianus eorum coetus prohibuit *L.* 3. *Cod. Theod. de Haeret.* eodem anno quo leges de Maleficis quas supra retulimus promulgavit. Idem prohibuit Arcadius *L.* 35. *eod.* ubi conventus *execrabiles* vocantur, in *L.* 65. *eod.* ipsi dicuntur *ad imam usque sceleris nequitiam pervenisse.* Minus in eos Principes Christianos quam Paganos saevisse notat Gothofredus, *ad L.* 40. *eod.* Reliqua de illis petenda ex Codice Justinianeo & Theodosiano & eruditissimis Gothofredi commentariis.

FINIS.

COROLLARIA.

I.

Tutoris datio non est Jurisdictionis ordinariae sed Legitimae.

II.

Negotiorum gestor ordinario tenetur de culpa levissima.

III.

Bonae fidei Possessor habens justum titulum, fructus tam naturales quam industriales percipiendo suos facit.

IV.

Pater filio exheredato recte Tutorem dat.